Bibliothèque numérique
medic@

Hippocrate / Meibom, Johann Heinrich. Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario illustratum a Joanne Henrico Meibomio.

Lugduni Batavorum : Ex Officina Iacobi Lauwiickii, 1643.
Cote : 5860

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?05860

©BIU Santé

HIPPOCRATIS
MAGNI
ORKOC,
SIVE
JUSJURANDVM.

Recensitum, & libro commentario illustratum,

Ex Bibliotheca — A Filiissimus Sti Bernardi —


JOANNE HENRICO
MEIBOMIO.
Parisiensis



DE PARIS · FEUILLANS

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IACOBI LAUWIICKII.
cIↃ IↃ C XLIII.

©BIU Santé



©BIU Santé

MAGNIFICIS, NOBILIBUS,
AMPLISSIMIS VIRIS,
D. CHRISTOPHORO GEHRDES/
I. V. D.
D. HENRICO VVEDEMHOVIO,
D. OTTONI BRÖKES/
D. ANTONIO COLERO, I. V. D.
CONSULIBUS;
TOTIQVE
ORDINI SENATORIO,
REIP. LUBECENSIS;
DOMINIS ET AMICIS MEIS
HONORANDIS,
S. P. D.

ANNI hodie ſunt ſeptendecim, & quod excurrit, Conſules Ampliſſimi, Senatores graviſſimi, quum illuſtris Guelforum Academia Jubileum ſuum, ſive diem natalem quinquageſimum auſpicatura, metu

©BIU Santé

graſſantis militis, hoſtiliumque direptionum, repente diſſipari cœpit, coetuſque Scholaſticus, & Collegæ fere omnes in loca tuta ſe recipere, donec tempeſtas illa aut ſedaret, aut Deus meliorque fortuna benigniore vultu communis patriæ res adſpectarent. Mihi in trepidatione illa non licebat eſſe tam felici, ut cum cæteris ſtatim fuga me periculo ſubducerem. Exſpectandus erat nutus Sereniſſimi Principis, FRID-HULDERICI, cujus vices commodum ſuſtinebam, magiſtratumque Scholaſticum tempore turbatiſſimo, ut poteram, adminiſtrabam. Habita tamen licentia, ut me quoque cum meis in locum tutiorem reciperem, Suerinum diverti, ad ſocerum meum, V. CL. IOANNEM OBERBERGIUM, Conſiliarium & Procancellarium Megapolitanum. Verum, quum & ibi mox omnia turbare viderentur, nec tempeſtas deſævire, novus hoſpes Veſtræ Reipublicæ acceſſi; certus animi fortunam in ea periclitari, & quid de me porro fata decernerent, præſtolari. Vix pedem intra urbem poſui, & undique mox clara mihi ſigna benivolentiæ & adfectus ſingularis adfulſere, nec ſaltem à civium præcipuis, ſed maxime à

©BIU Santé

me à vobis,qui ad clavum ſedendo non niſi rectam ſtatuebatis Reip.navem. Nec vero amore tantum ac benivolentia venientem excepiſtis, hærentem foviſtis; ſed biennio nondum elapſo, nihil tale cogitantem, ad capeſſendum locum Medici Reip. Ordinarij, ultro invitaſtis, & luculentiori quidem ſtipendio, quam ante cuiquam alij obtuleratis. Neque nunc etiam ceſſat me fovere veſtra iſta benivolentia, non tam merito meo, quod ſentio quam ſit exiguum, quam benefico animi mihi bene cupientis impulſu. Igitur rationem mihi rerum mearum ineunti, & occaſionem quærenti,qua obſervantiam ergaVos meam poſſem conteſtari, Ælij Ariſtidis Sophiſtæ illud occurrit,quo dicebat: *Templa DIs eſſe conſecranda, Viros eximios librorum dedicatione honorandos.* Quod ſequuturus, quum nihil aliud eſſet ad manum, IUSJURANDUM HIPPOCRATIS, libro commentario illuſtratum, veſtro nomini, ô eximij virorum, inſcribere & dedicare animus impulit. Exiguum id ſcio eſſe munus, & nullam partem favoris demerendi, aut gratiæ exſolvendæ: pignus tamen erit, & debitæ in vos obſervantiæ ac cul-

 tus,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 5 sur 248

©BIU Santé

tus, publicum & ſincerum monumentum. Accipite igitur id Conſules Senatoreſque magni, & inprimis Tu, CHRISTOPHORE GEHRDESI, qui caput hodie es, & agmen ducis ſanctioris Conſilij, & fere unus ex primis favitoribus mihi ſuperas, & ut diu ſuperſis, precor. De tuis virtutibus non meæ eſt jurisdictionis, nec hujus loci, ſententiam ferre. Gaudent omnes, & credunt, TE Superûm favore huic Reip. in id reſervatum, ut novus Atlas fulcias ejus cælum, periculoſo hoc tempore, quo fatalis calamitas, & vis major, toti Romano Imperio incumbit. DEUS OPT. MAX. Te, Collegas, Senatoreſque ad unum omnes, Reip. bono ſalvos incolumeſque ſervet, ut ſalutaribus ei conſilijs in civilium bellorum his flammis præeſſe, & ſartam tectam in poſteros feliciter transferre poſſitis. LUBECÆ proprid. KAL. Martias. ANNO cIↃ IↃ C XLIII.

Magnif. Nobil. Amplit.

Veſtra

addictiſſimus

JOAN. HENRICUS MEIBOMIUS.

BENI-

©BIU Santé

BENIVOLO LECTORI S.

Sanctissimum Hippocratis Iusjurandum, benivole Lector, mihi quidem dignum semper visum fuit pleniori aliqua enarratione, è qua Medicinam facturus discere posset, quis in artis exercitio esse deberet. Prægnans siquidem est materiarum, & multa paucis includit, quæ à nemine hactenus pro rei necessitate fuerunt explicata. Nam quæ Theodorus Zuingerus, Ioannes Heurnius, Ioannes Obsopœus, Petrus Memmius, Franciscus Ranchinus, *Viri Clarissimi, in id notarunt, in universum pauca admodum sunt, & concisa. Quæ vero* Henricus Monantholius *in idem scripsisse, Præfat. in Mechanica Aristotel. commeminit, aut superiori seculo* Blasius Hollerius, *& non ita pridem* Franciscus de Franciscis *commentati sunt, nec videri huc usque à me, nec investigari potuere. Operæ igitur precium me facturum putavi, si laborem eum mihi sumerem, à quo & fructus in plures manare, & mihi tædium leniri posset, quod ex continuis fere perambulationibus ægrotorum, in populosa urbe, animo obrepit. Nec tamen plane adcuratum quid, numerisque omnibus absolutum exspectaveris, sed tale, cui nihil alius temporis à me potuit impendi, quam occupationibus, quas dixi, & quarum multitudine distringor, fas erat suffurari. Quod si cui prolixior fuisse fors videbor, quam res postulaverit, is sciat non* Notas *in Iusjurandum, me con-*

©BIU Santé

conſcripſiſſe, ſed Commentarium, *aut potius* Diſcurſus. *Sciat nunquam nimis inculcari cuiquam id poſſe, quod in vita ſequi debeat. Si cui etiam nimius fuiſſe videar in Etymologiis, aut aliis minutiis, cum eo non magnopere contendam. Nec tamen id feci ſine exemplo ſummorum Scriptorum, Platonis, Ariſtotelis, Philoſophorum Principum; Varronis, Ciceronis, Romanorum illius doctiſsimi, hujus eloquentiſsimi: cum quibus hac equidem in re malim errare, quam cum eo, qui iſta reprehenderit, bene ſentire. Hoc vero ſemper cavi, ne quid à quoquam ſumerem, cujus non ſimul adſcriberem nomen; ne quem laude ſua videar intervertiſſe. Tu boni iſta, Lector, conſule, &, ſi faveris, alia propediem à me exſpecta, ubi vitam mihi prorogarit Deus. Vale.*

ΙΠΠΟ-

©BIU Santé

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥϹ
ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ
ΟRΚΟϹ.

HIPPOCRATIS
MAGNI
JUSJURANDUM.

PARIS · FEUILLANS DE

Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ Πανάκειαν, καὶ Θεοὺς πάντας, καὶ πάσας, ἵστορας ποιεύμενος, ἐπιτελέα ποιήσειν, κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, ὅρκον τόνδε, καὶ ξυγγραφὴν τήνδε. ἡγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην, ἴσα γενέτῃσιν ἐμοῖσιν, καὶ βίου κοινώσασθαι· καὶ χρεῶν χρηίζοντι μεταδοσίην ποιήσασθαι· καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἐωυτοῦ ἀδελφοῖς ἴσον ἐπικρίνειν ἄρρεσι· καὶ διδάξειν τὴν τέχνην ταύτην, ἢν χρηίζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ

PEr Apollinem Medicum, & Æſculapium, Hygeiamq; & Panaceiam, & Deos Deaſque omnes jurejurando adfirmo, in teſtimonium eos citans, me, quantum judicio & viribus valuero, jusjurandum hoc, atque hanc ex ſcripto ſponſionem, plene obſervaturum. Præceptorem quidem, qui me hanc artem edocuit, Parentum loco habiturum, eique alimenta impertiturum; & ad uſum neceſſaria ſubminiſtraturum; ejuſque poſteros pro germanis fratribus reputaturum. Eoſdem inſuper, ſi hanc artem addiſcere volent, abſque mercede

 & ſyn-

©BIU Santé

& ſyngrapha edocturum. Præceptionum quoque, & auditionum, totiuſque reliquæ diſciplinæ, cum meos, & ejus, qui me edocuit, liberos participes facturum, quique præterea, nomen ſuum profeſſi, in legem medicam jurarint: aliorum vero neminem. Victus quoque rationem, quantum viribus & judicio valuero, ſalutarem præſcripturum: ab omni vero noxa & injuria vindicaturum. Neque precibus adductus, cuiquam medicamentum mortiferum propinabo; neque ejus rei auctor ero. Pariter neque mulieri peſſum ad fœtus corruptionem ſubjiciam. Sed caſtam & ab omni ſcelere puram, tum artem, tum vitam meam præſtabo. Neque vero calculo laborantes ſecabo, ſed magiſtris, ejus rei peritis, id muneris permittam. In quaſcunque autem ædes ingreſſus fuero, ad ægrotantium ingrediar ſalutem, alienus ab omni injuria voluntaria, & corruptela, cum alia, tum præſertim rei veneriæ, in corporibus mulierum, aut virorum, ſive liberorum, ſive ſervorum. Quæ vero inter curandum, aut etiam medicinam minime faciens, in communi hominum vita, vel videro, vel audiero, quæ in vulgus efferri non decet, ea arcana eſſe ratus, ſilebo. Hoc igitur jusjurandum

καὶ ξυγγραφῆς. Παραγγελίης τε, καὶ ἀκροήσιος, καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος μετάδοσιν ποιήσασθαι, ἰοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσί γ' ἐμὲ διδάξαντι, καὶ μαθητῇσι συγγεγραμμένοις τε, καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ· ἄλλῳ δὲ ὐδενί. Διαιτήμασί τε χρήσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμήν· ἐπὶ ῥηήσῃ δὲ καὶ ἀδικίῃ εἴρξειν. Οὐ δώσω δὲ οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον, οὐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε· Ὁμοίως δὲ οὐδὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω. ἁγνῶς δὲ καὶ ὁσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν, καὶ τέχνην τὴν ἐμήν. Οὐ τεμέω δὲ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας· ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. Εἰς οἰκίας δὲ ὁκόσας ἂν ἐσίω, ἐσελεύσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἑκουσίης, καὶ φθορίης, τῆς δὲ ἄλλης, καὶ τῶν ἀφροδισίων ἔργων, ἐπί τε γυναικείων σωμάτων, καὶ ἀνδρώων, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων. ἃ δ' ἂν ἐν θεραπείῃ ἢ ἴδω, ἢ ἀκούσω, ἢ καὶ ἄνευ θεραπείης κατὰ βίον ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρὴ ποτὲ ἐκκαλέεσθαι ἔξω, σιγήσομαι, ἄῤῥητα ἡγεύμενος εἶναι τὰ τοιαῦτα. Ὅρκον μὲν οἱ τόνδε ἐπι-

τελέα

©BIU Santé

τελέα πιέσντι, καὶ μὴ ξυγχέοντι, εὖη ἐπαύρασθαι βίου, καὶ τέχνης, δοξαζομένῳ διὰ πάσιν ἀνθρώποις, εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον· παραβαίνοντι δὲ καὶ ἐπορκέοντι, τἀναντία τουτέων.

ΤΕΛΟΣ.

si religiose observem, nec violem, prospero successu tam in arte, quam vita mea fruar, & gloriam immortalem ubivis gentium consequar. Quod si idem transgrediar, & peierem, istis contraria mihi obveniant.

FINIS.

©BIU Santé

Idem

JUSJURANDUM,

Latinis verſibus expreſſum,

A

SCÆVOLA SAMMARTHANO,

SILVARUM LIB. I.

HE per ego hîc, Phœbe ô, Medicæ pater artis & auctor,
Teque per hîc juro, non inficiande parenti,
Aſclepi, & geminas, dulciſſima nomina, natas,
Hygeiam Panacenque, Deosque Deasque per omnes,
Quos teſtes appello, fore, ut, dum vita manebit,
Quæ nunc conceptis ſtatuo promittere verbis,
Illa ſequar vigil, & ſervem indefeſſus ad unguem,
Promiſſique fidem res ut jurata ſequatur.
Qui me hanc inſtituit puerum præceptor ad artem,
Ille mihi patris inſtar erit: non ſegnius illum
Uſque colam ac ipſos, qui me genuere, parentes.
Illum ego fortunas comitem complectar in omnes;
Illi, cum ſors dura feret, miſeratus, egeno
Succurram totis opibus, tota arte juvabo.
Nec minus & fratrum inſtar erunt, quos pectore toto
Certus amem, firmoque mihi quos fœdere jungam,
Tum nati illorum, tum qui naſcentur ab illis.
Quorum ſi quis erit, pulchro qui incenſus amore
Virtutis, noſtras animum convertat ad artes,
Hunc ego gratuito, & nulla mercede docendum,
Suſcipiam. quin & quovis genitore creati,

Omnia

©BIU Santé

Omnia me discent omnes præcepta magistro;
Omnibus unus ero doctor; Phœbeia princeps
Castra sequar, duce me vestigia figere discent:
Si modo militiæ dederint sua nomina nostræ.
At Sacris, Thymbræe, tuis quicunque teneri
Abnuerint, procul hinc illos, procul esse jubebo.
Omnibus hoc unum studiis, operaque fideli
Curabo, ut victus ratio quæcunque salubris,
Nec producendæ fuerit male congrua vitæ,
Hanc ego præscribam bonus, & contraria damnem:
Ut, quantum potero, maneant me vindice tuti
Mortales, fatique furens injuria cedat.
Non ego, vel pretio, vel iniqua petentis amici
Adducar precibus, cuiquam ut lethale propinem
Pharmacon, aut alius quisquam me auctore propinet.
Nec vero mulier, temerati damna pudoris
Si qua sit, abjecto cupiat quæ extinguere fœtu,
Huic ego subjiciam pessos, animamque latentem,
Conscius, & nondum viventia membra necabo.
Faxo mihi sceleris purissima vita nefandi
Semper eat, castique decus sine labe pudoris,
Nec mihi sanctum ullo vitietur crimine munus.
Vesica inclusus misere quos calculus angit,
Haud ego sustineam crudeli excidere ferro.
Ecquis enim furor est, qua sanas vulnera dextra,
Hac eadem miseris membris infligere vulnus,
Sævumque infando sanare dolore dolorem,
Et lethum ut fugias, aliunde accersere lethum?
Scilicet has versat cadens operarius artes,

©BIU Santé

Durum hominum genus, & pietate insigne cruenta.
Me quæcunque domus venientem exceperit, omni
Viderit hoc cura satagentem, ut, quæ ægra jacebant
Membra, toro dulci arte levem, menteſque dolore
Oppreſſas recreem verbis ſolatus amicis.
Femina virve fuat, nullo diſcrimine habebo,
An domini, an ſervi: neque amor me cœcus habendi
Interea, aut Veneris coget male-ſana libido.
Sive vacem officio, ſeu quidvis moliar unquam,
In vita ſi forte hominum quid videro, quod ſit
Celandum, celabo libens, linguamque fideli
Corripiam freno, nec grata ſilentia rumpam:
Nec ſecus, atque meæ fidei commiſſa, tenebo
Arcana, & tacito ſub pectore clauſa recondam.
Sic mihi divini faveat bona Numinis aura,
Sic fortuna meis accedat proſpera rebus,
Quæque mihi merces ſuſcepti optata laboris,
Laude vehar, vigeatque meum per ſecula nomen;
Ut me nulla dies violantem hæc viderit unquam:
Sin minus, & vano perjuria turpia mendax
Ore loquar, dubiique ferant hæc irrita venti,
Nulla mihi ex animo ſuccedant vota, ſed atrox
Me miſerum ſævis merſet Fortuna procellis,
Triſtiaque inviſa capiant me tædia vitæ.

VARIÆ

©BIU Santé

VARIÆ LECTIONES IN TEXTU Græco Jurisjurandi.

Υγείαν) al. Τγίαν.
Καὶ θεὸς πάντας καὶ πάσας) al. καὶ θεὸς πάντας τε καὶ πάσας.
item, θεάς τε πάντας & πάσας.
Ποιεύμενον) al. ποιεύμενον.
Ἐπελέα) al. ἐπέλεις.
Ἡγήσεσθαι) al. ἡγήσεσθαι.
Ἶσα) al. ἶσα καὶ.
κοινώσεσθαι) al. κοινώσεσθαι.
ποιήσεσθαι) al. ποιήσεσθαι.
ἀφ-ειμ. ἐπικρίνειν) al. ἐπικρινέειν.
ἰὼν) al. ἰών.
Παραγγελίης) al. ὠφελιήσιον.
Ποιήσεσθαι) al. ποιήσεσθαι.
Χρήσομαι) al. Χρήσεσθαι.
Εἴρξειν) al. εἴρξω.
Φθορίης) al. Φθορῆς. item, πλαάνης.
ἀνδρώων) al. ἀνδρείων. item, ἀνδρῶν.
ἐν Θεραπείῃ) al. ἐν Θεραπηΐῃ. item, ἐν Θεραπίῃ.
Θεραπείης) al. Θεραπηΐης. item, Θεραπίης.
ἐκκαλέεσθαι) al. ἐκλαλέεσθαι.
ἔν) al. μὴ ἔν.
βίῳ) al. βίον.
τέχνης) al. τέχνῃσι.
ἀνθρώπους) al. ἀνθρώποισιν.

GLOS-

©BIU Santé

GLOSSÆ

Ab Illustrissimo

JOSEPHO SCALIGERO

in vetustissimis Reginæ Galliarum codicibus repertæ,

Et Cl.

JOANNI HEURNIO, communicatæ, quas Glossarum, aut Excerptorum Scaligeri nomine aliquotiens citamus.

Ἴστορας, μάρτυρας. Ἀπατελέα, ἐπελῆ, ἀψαδῆ. ξυγγραφὴ, συμφωνίαν. μετάδοσιν, κοινωνίαν. εἴρξειν, ἐμποδίσειν. εἰσίω, εἰσελθῶ. Φθορέης, βλάβης. ξυγχέουλι, ὠδαβαίνουλι. ἐπαύρασθαι, ἐπαπολαῦσαι. ἴσα καὶ γρύτησιν, γρυῦσιν, ἢ συγγρυίεσιν. ἕτως Ἀτθικῶς λεγόντων· ὡς δὲ Φιλήβων ἐν Κόλακι φησὶν· Ἀλλ' ἀδὲ γρυπτὴ δύναμαι οὐρεῖν, ἀδένα τ' τοσάτων, δ' ἀπειλημμαι μόνῳ. Καὶ Ῥιθῷ ἐν τῷ περὶ τ' Ἀτθικῆς σωτηρίας φησὶν· Οἱ μὲν ἂν ἐκ τ' αὐτῆς φύλης, φυλέτας λέγον)· οἱ δ' ἐκ τ' αὐτῆς φρατρίας, φράτορες. οἱ δ' ἐκ τ' αὐτ' γένους, γενῆτας.

IN

©BIU Santé

IN HIPPOCRATIS MAGNI OPKON,

SIVE

PARIS · FIDELIS · BIBLIOTHECA SANCTI DE

JUSJURANDUM,

Commentarius.

CAPUT PRIMUM.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ]

SUMMARIA.

1. *Auctoris intentio.* 2. *De auctore libri an quærendum.* 3. *Hippocrates multi.* 4. *Cujus Hippocratis filij ut fatui traducantur.* 5. *Cardanus notatus.* 6. *Hippocrates professione medici.* 7. *Hippocrates Magnus.* 8. *Hujus Genealogia.* 9. *A Reineccio & Henningesio dissensum.* 10. *Hippocratis Magni laus.* 11. *An ejus sit Jusjurandum.* 12. *An idem Galeno notum.* 13. *Galeni commentarius in Jusjurandum suppositius.* 14. *Galenum videri agnovisse Jusjurandum.* 15. *Auctor Commentarii in Aphorismos Hippocratis, Oribasio adscripti.* 16. *Testimonium de Jurejurando*

©BIU Santé

Scribonii Largi. 17. *Sorani Ephesii.* 18. *Erotiani.* 19. *D. Hieronymi, & Greg. Nazianzeni.* 20. *Theod. Prisciani.* 21. *Suidæ.* 22. *Arabum.* 23. *Hippocrates Jurisjurandi auctor.* 24. *Quibus illud præscriptum?* 25. *& quam ob causſam.*

Nii. 1. IVSJVRANDVM, cui antiquitas Hippocratis nomen præscripsit, plenum succo & sanguine sinceræ integritatis, & pietatis, quæ in Ethnicum cadere queat, non fucatæ, in omnium versatur ore & manibus. Hoc enarraturus, ante quam circum ipsum ingrediar, paullum ad carceres subsistere, & de Auctore quædam præfari, ac quis fuerit, qui illud discipulis sectatoribusque præscripserit, adcuratius paullo inquirere, 2. operæ pretium esse duxi. Quanquam enim nescius non sim, Senecam Philosophum lib. de brevit. vitæ. cap. XIV. dicere, eorum esse de libri auctore agere, qui *litterarum inutilium studijs detinentur, & operose nihil agunt.* Tamen neque hoc sum nescius, è Stoicis ipsum fuisse, qui adfectus exsuisse videri volebant. Ego vel eam ob causſam de auctore quærendum censeo, quod valde hoc faciat ad Lectorum adfectus conciliandos, quos tam varie concitari experientia testis est, ut illorum sæpe, quibus minus favent, etiam recte dicta aut scripta fastidiant. *Et sunt non nulli*, inquit, Polybius lib. III. *qui non tam scripta ab auctore, quam ipsum amplectuntur auctorem*; ac sæpe, ut Seneca ipsus ait, Epist. XII. *non quid dicatur æstimant,* 3. *sed à quo.* Extitisse autem Hippocratis nomine plurimos, non ignorare poterit, qui veterum auctorum scripta vel obiter inspexerit. Nam & *Mathematicum* hoc nomine fuisse, & quaduraturæ circuli inveniendæ impendisse operam, Aristoteles lib. VII. Eudemior. cap. XIV. & Elench. Sophist. lib. I. cap. X. & Plutarchus in Solone, sunt auctores: atque *alium* Atheniensium in bello Peloponnesiaco Ducem Thucydides Hist. lib. IV. &

©BIU Santé

IV. & Pauſanias in Laconicis & Boœticis : *alium*, Lacedæmoniorum in Chalcedone præfectum, Plutarchus in Alcibiade : *alium*, Xenodici filium, Capyos fratrem, ex Thebanorum Regum familia, Scholiaſtes Pindari: *alium*, Apollodori filium, Phaſonis fratrem, Plato in Protagora: *alium*, Smyndiritis Sybaritæ patrem, Herodotus lib. VI. & Athenæus Dipnoſoph. lib. XII. inculcant. Livius lib. XXXIV. *alium* meminit, qui Syracuſis prætor, & Annibalis fuerit partium : *alius* in Stratonis Lampſaceni teſtamento fit mentio, apud Laërtium lib. V. *alius* qui Mindaro Lacedæmoniorum Duci fuerit ab epiſtolis, apud Xenophontem in Paralipom. lib. I. *Hippocratem Aramiteum*, cujus filius Atyanas in Olympijs periodo vicerit, memorat Phlegon Trallianus in Olympicis, apud Photium. Cod. XCVII. *Duos alios*, patrem & filium, quorum hic in Siciliæ urbe Gela tyrannidem occuparit, habent Herodotus lib. VII. Thucydides lib. VI. & Pindari Scholiaſtes in Pythijs: quibus accedat, quem *Piſiſtrati Athenienſis patrem* faciunt Herodotus lib. I. Demoſthenes in Orat. contra Midiam, & Plutarchus in Solone. Adde *Megaclù filium*, Alcmæonidem, ex Herodoto lib. VI. & Pindari Scholiaſte: *atque illum* cujus filios, ut fatuos tra- 4.
ducunt Eupolis, Comicus antiquus, apud Suidam in τοῖς Ἱππεῦσι, & Ariſtophanes in Nubibus act. III. ſc. III. quorum Galenus quoque meminit lib. quod animi mores ſeq. temper. corp. & tres fuiſſe notat Scholiaſtes Ariſtophanis; Teleſippum, Demophontem & Periclem. Unde fallitur Hier. 5.
Cardanus, qui in proœm. Comm. in Aph. Theſſalum & Draconem, Hippoc. Magni filios, Medicos celeberrimos, & ἐπιφανεςάτους, ut vocat Soranus in Hipp. vita : ſeu πάνυ κομψοὺς ut nominat Plato lib. III. de Repub. eos fuiſſe ſibi perſuadet, quos Comici in ſcenis traduxerint. Præter autem Hippocrates jam memoratos, Hippocratem Jonicum, quem Medicum fuiſſe conjicio, nominat Erotianus Lexico, in τεττιαφυεῖς : *& ſeptem* alios, ejuſdem profeſſionis, uniuſque & ejuſdem fa-

 miliæ,


Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 19 sur 248

©BIU Santé

6. miliæ, genere Coos, & ſcriptis editis celebres, recenſet Sui-
7. das. Ex ultima hac Hippocratum Pleiade, qui ſecundo fuit loco, omnium clariſſimus, reliquos longo intervallo poſt ſe reliquit, atque ut Lucretius de Epicuro, lib. III. loquitur,

——— *ingenio ſuperavit, & omnes*
Præſtrinxit; ſtellas exortus ut æthereus Sol:

ut *Divini* etiam, & *Magni* cognomen apud poſteros invenerit. Ortus is fuit ex illuſtri & regia *Aſclepiadarum* familia, ſi paternam reſpicias proſapiam; ſin maternam, *Heraclidas* generis agnovit auctores; decimuſque nonus fuit ab Æſculapio, ut Soranus in vita Hipp. ex Eratoſthene, Pherecyde, Apollodoro & Ario Tharſenſi computat; vel decimus octavus, ſi
8. Pæto in Epiſt. ad Artaxerx. Perſ. Reg. fides arbitranda. Schema nobiliſſimæ familiæ, ex probatiſſimis auctoribus collectum, Cl. Reinerus Reineccius noſter, Hiſtor. Juliæ part. I. regno XXVI. & Hieron. Henningeſius in Tabb. Genealog. exhibuerunt, quod non uno in loco auctum, demerendæ gratiæ eorum, qui antiquitatis ſunt amantes, ſubjungo.



©BIU Santé

A B

Nicomachus I. Rex Pherēsis, scripsit in Medicina. | Gorgasus, Rex Pherensis. | Alexanor, in Sicyonia divinos honores meritus. | Sphyrus Argis templum Æsculapio dedicavit. | Polemocrates; huic Argis honores habiti post mortem. | Hippolochus. | Sostratus I. | Dardanus. | Crisamis I. | Cleomytades I. | Theodorus I. | Sostratus II. | Gisamis II. Rex. | Cleomytades II. | Theodorus II. 9.

Ex Nicomachi Regis posteris, quorum series ignoratur, post Iɔcc. fere annos originem duxit Aristotelis pater, Nicomachus.

* * *

Hermias, Atarnensium Tyrannus. | Nicomachus II. Amyntæ II. Regis Macedoniæ Medicus. | Phæstias, ex Æsclepiadis orta.

Pythias. | Aristoteles, natus anno I. Olymp. xcix. | Herpylis. | Arimnestus. Arimneste.

N. N. vel Nicanor. | Pithyas. | Nicomachus III.

Erasistratus Iuliates, Seleuci Regis Medicus.

NB. Cl. Reineccius, & Henningesius, Aristoteli ex Pythiade filium adscribunt Nicanorem, & testem citant Laërtium in Arist. vita. Ex Laërtio tamen hujus nihil nobis constat. Meminit enim

Aristo-

©BIU Santé

Ariſtoteles Nicanoris apud Laërtium, non ut filij, ſed ut futuri generi, cui filiam Pythiadem deſtinarit. Hoc vero & Joan. Grammaricus teſtatur, Ariſtotelem caviſſe teſtamento, ut filia Nicanori Acharnenſi elocaretur. Ex Nicanore autem hoc, & Pythiade, ut puto, natus fuit Eraſiſtratus. Alij tamen plures Pythiadem habuiſſe maritos ſcribunt, ut Metrodorum, ex quo natus ſit Ariſtoteles II & Proclem, ex Demarathi Regis Lacedæmoniorum familia, cui Proclem & Demarathum fuerit enixa.

Soſtratus III.

Nebrus, ὁ Δημοκράτους τῶν Ἀσκληπιαδῶν, ut vocat Stephanus Cous.

Chryſus, Medicus.

Elaphus, Medicus.

Hippolochus, Reip. Coæ cum Cadmo adminiſtrator.

Gnoſidicus, ſcripſit in Medicina.

Hippocrates I.

Æneus.

Podalirius II.

* Scythes, Reip. Coæ gubernator.

* N.

* N.

Phœnarete.

Praxithea.

Cadmus, Reip. Coæ adminiſtrator.

Filia ἀνώνυμος.

Heraclides.

Hipocrates II. naſcitur anno I. Olymp. LXXX. die XXVI. menſis Ἀγριανῷ.

Soſander.

Theſſa-

©BIU Santé

Theſſalus, Archelai Regis Medicus. | Draco I. | Hippocrates IV. Rhoxanes Alex. M. conjugis Medicus. — Filia ἀνώνυμος. — * Polybus, ſoceri ſui in ſchola ſucceſſor.

Gorgias. Hipporates III. Draco II.

Draco III. Rhoxanes Medicus.

Celebrantur præterea ex *Aſclepiadarum* familia non pauci alii, quorum tamen cum ſuperioribus connexionem in cognationis ſerie ignoramus; ex quibus ſubſequentes notavimus.

* Thymbræus. | Hippocrates V. Praxianax. | Hippocrates VI.

* Anchitus. | Pauſanias.

Neque excludendi ſunt ab eadem familia, quos Dioſcorides in præfat. libb. de re medica, & Epiphanius Cyprius Panarij, ſive de Hæreſib lib 1. in pr. recenſent, *Julius Baſſus*, *Niceratus*, *Petronius*, *Niger*, *Diodotus*: neque *Xenophon Claudij* Imp. Medicus, cujus Tacitus lib. XII. Annal. meminit: aut *Praxagoras*, quem τὸν ἀπ' Ἀσκληπιοῦ Galenus, lib. 1. Meth. Med. cap. III. Jo. Tzetzes vero in Chiliad Coum vocat, & ab ipſo Hippocrate, una cum filijs artem ait edoctum: vel *Critodemus* Alexandri M. Medicus caſtrenſis, ὁ γηρὼν τῶν Ἀσκληπιαδῶν, ut Arrianus lib. VI. teſtatur, de quibus omnibus & ſingulis in Vitis

©BIU Santé

10 Vitis Medicorum cum Deo pluribus acturi ſumus. Ad Hippocratem revertamur, Magnum illum, ſive etiam Secundum, ut avi reſpectu vocari ſolet. Hic quum feliciſſimo & diviniſſimo eſſet ingenio, medicinam rudem, quæque id temporis inſtar fœtus recens concepti habebat, primis fere lineamentis tantum adumbrata, felicius omnibus excoluit, primuſque in artis formam redegit, ſive, ut Pœtus in Epiſt. ad Regem Artaxerx. ait, *ex parvis ac vulgaribus initijs in magnam artem provexit.* Medendi inſuper præcepta, ſcriptis accuratis comprehenſa, poſteris reliquit; *quod multos cuperet eſſe medicos, qui ſervare poſſent*, ut SC. Athenienſe de ipſo loquitur. Fuitq; Scriptorum eius tanta ab omni ævo auctoritas, ut fidem ipſorum, perpetua experientiæ comprobatione firmatam, etiamnum oraculi inſtar omnes καθαπαζώμεθα (ut Suidæ verbis utar, in voce Ιπποκρ.) ὡς θεῖ φωνὰς, & οὐκ ἀνθρωπίνε προελθούσας στόματος·

11 *veneremur ut Dei voces, neque ex humano ore progreſſas.* Interea itaque Hippocratis ſcripta, præſens etiam jusjurandum, ſive ὅρκος, communiter hactenus referri conſuevit. A Jacobo tamen Segarra, Comm. in lib. II. Gal. de natur. facult. cap. III. Io. Baptiſta Silvatico, Controverſ. Med. LXXXII. Garſia Carrero, Comm. in libb. Gal. de loc. adf. diſp. LXXVI. cap. IIX. Hieron. Mercuriali, in princ. prælect. Patavin. nonnulliſque alijs, natalium eidem controverſia movetur. Legitimum enim Hippocratis Magni fœtum negant, ea potiſſimum de cauſſa, quod nec à Galeno, nec alio quopiam veterum ſcriptorum, hoc nomine citetur, aut mentio ejus fiat. Ego vero à communi opinione nullus diſcedo, tum λέξεως ratione, quæ ab Hippocratica non abit, tum argumentis non parvi momenti alijs, quæ me moveant, inductus. Primo enim, jusjurandum hoc, ſi Hippocratis Magni non ſit, antiquiſſimi tamen eſſe ſcriptoris, nec ipſi negant, qui vulgatæ opinioni adverſantur. Et Mercurialis quidem, etſi ab Hippocrate editum non credit; vero ſimile tamen eſſe concedit, ab Hippocrate ore

©BIU Santé

ore vel ſcripto auditoribus propoſitum, & ab his exceptum, alijs per manus deinde traditum, atque ea ratione, ut pleraque alia rara, ad nos perveniſſe, & pro germano nunc fœtu paſſim cenſeri. Hippocratis vero Magni eſſe, an Galenus meminerit, 12
non certo liquet, quum ex ſcriptis ejus plura perierint, nec ad noſtram ætatem pervenerint. Extat quidem *Galeno* adſcriptus 13
Commentarius in Iusjurandum Hippocratis, quem *Ioannitius*, ſive *Hunein*, Medicus Syrus, ex Græco Arabicè vertiſſe dicitur, & Notis illuſtraſſe, cujus etiam fragmentum nobis nuper dedit vir longiore vita digniſſimus, Ioan. Elichmannus, in Reſp. de vitæ termino, ad Orientalium Doctorum mentem. Verum Commentatorem iſtum, quantum quidem ex fragmento ipſo colligi datur, Galenum non eſſe, vel juramento contendere paratus ſum. Quæ enim ibi adferuntur de Æſculapij ſublatione ad Angelos in columna ignea, ac parte ejus mortali à Deo τρισμεγίστῳ igne perdita, partiſque immortalis adſumptione, animæque elevatione in cœlum, minime Galeni doctrinam aut λέξιν ſapiunt. Neque enim tam religioſe is loqui amat de Deo, nec Angelos ullibi nominat, de animæ vero ſubſtantia maxime eſt dubius, ut & eam ſe interdum ajat ignorare, interdum temperamentum eſſe, aut temperamento inſervire adfirmet, interdum temperamentum eſſe neget. Si quis tamen, miſſo pſeudo-Galenico hoc Commentario, exactius perpen- 14
derit locum illum, qui eſt lib. x. de ſimpl. med. facult. in princ. facile in eam mecum deveniet ſuſpicionem, Galenum in Hippocratis Jusjurandum quaſi digito ibi intendiſſe. Ut enim nihil religioſius in ὅρκῳ ſuo ejurat Hippocrates, quam venêni exhibitionem, & abortus procurationem, tanquam ea, quæ artem vitamque ſanctam contaminent: ita Galenus medicamenta ἀγώγιμα & παθοποιὰ ſeu θανάσιμα, hoc eſt, *abortum mortemque conciliantia*, exhibere aut alios docere, ſummum ſcelus, injuriam & impietatem eſſe cenſet, ut ex Hippocratis Iurejurando etiam verba quædam mutuaſſe videri queat. Locum in-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 25 sur 248

©BIU Santé

15 tegrum inſpicere & conſiderare Lector poterit. Eſto tamen, Galenus jurisjurandi Hippocratici non meminerit, meminere tamen alij, inter quos forte agmen ducere poſſet *Auctor Commentariorum in Aphoriſmos Hippocratis*, quæ *Oribaſio* vulgo tribuuntur; qui ſtatim in veſtibulo ſui operis Hippocrati Aphoriſmorum Auctori, etiam τὸν ὅρκον adſcribit. Vetuſtiorem autem Commentatorem illum non Oribaſio tantum, ſed etiam Galeno, immo vetuſtiſſimum fuiſſe, ex eo conijcere quis poſſet, quod monente *Evergete*, ſe ſcripſiſſe notat. Qui quidem, ſi Ptolomæus eſſet Evergetes, Ptolomæi Philadelphi F. Rex Ægypti, floruiſſet ſane ante natum Salvatorem annis CCXLV. ante Galenum fere quattuor ſeculis. Verum quum in dubium hic multa vocari poſſe videam, nihil nunc quidem decerno; ad-

16 curatius de eo alibi acturus. Itaque ſuccenturiatum ipſi do *Scribonium Largum*, Galeno citra dubium antiquiorem. Verba ejus in hanc rem ſunt in Epiſtola præliminari ad C. Iulium Calliſtum. *Hippocrates*, inquit, *conditor noſtræ profeſſionis, initia diſciplinæ ab jurejuiaudo tradidit: in quo ſanctum eſt, neprægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut commoniſtretur à quoquam Medico*. Ubi primum notari oportet, *Hippocratem* à Scribonio vocari *conditorem medicæ profeſſionis*, ne quis alium intelligi putet, quam Magnum illum, quem Medicinam in artis formam redegiſſe diximus. Quemadmodum alias quoque ubicunque ſimpliciter Hippocratis nomen apud rei medicæ ſcriptores uſurpatum legimus, non de alio quam Magno illo intelligi ſolet. Exprimuntur deinde ipſa jurisjurandi Hippocratici verba, ne de alio ὄρκῳ, quam præſenti, loquutus videri queat. Neque obſtat, quod Epiſtola illa Scribonij, in nonnullis libris Corn. Celſi nomen ſibi præſcribat. Neminem enim cum Marſilio Cagnato Variar. Lect. lib. III. cap. XIV. fore arbitror, qui vel unam tantum Celſi pagellam legerit, cui non Scribonij potius, quam Celſi epiſtola ea videatur. Accedit, quod in fine Scriboniani operis Calliſti iterum

fiat

©BIU Santé

fiat mentio, cui epiſtola ipſa inſcribitur. Argumento enim hoc eſt, unum eundemq; eſſe & operis, & præfixæ epiſtolæ auctorem, & uni eidemq; & librum & epiſtolam eſſe inſcriptam. Sit tamen Celſi epiſtola, & erit tanto antiquior. Celſus enim D. Auguſti ævo vixit, quod vel ex Columella liquet, qui ſub Tiberio floruit, & Celſi, ut ſuperioris non ſemel meminit. At Scribonius, ut pluribus docet Cagnatus, vixit ſub Claudio Imp. circa annum à nato Salvatore quinquageſimum, integro fere ſeculo ante Galenum, qui ſub Trajano & Hadriano primum efflоruit, & Scribonium ſæpe citat in libris de compos. medicam. κατὰ τόπους, & alibi. Nam quod Caſpar Barthius vir eruditiſſimus, & amicus olim noſter, Advers. lib. xxxix. cap. xvi. ex Scribonio Siburium, aut Deſignatianum, paulloque ſuperiorem Marcello tantum facit, qui circa annum cccc. vixit, in eo fruſtra eſt, & pluribus rem totam in Vitis Medicorum diſputabimus. Scribonio accedat *Soranus Epheſius*, junior 17
ille, ut puto, qui, Suida atteſtante, vitas & ſectas Medicorum conſcripſit, ſenioris Sorani, quem Trajani & Adriani Impp. ætas florentem vidit, ni fallor, gentilis, & Galeno jam ſenectutem agente nobilis. Is in vita Hippocratis, quæ ex ejus de Vitis opere ſola ſuperat, ἀφθόνως, inquit, τοὺς ἀπιτηδείους ἐδίδαξε τὴν τέχνην μετὰ προσήκοντος ὅρκου. hoc eſt: *Candide & liberaliter Hippocrates ſtudioſos artem docuit, debito interveniente* IURE JURANDO. Quod quidem jusjurandum nemo aliud fuiſſe, quam præſens hoc noſtrum, credo adfirmabit. *Erotianum* præterea adde, quem nonnulli Neronis ævo vixiſſe volunt, Marſilius vero Cagnatus, operis laudati lib. ii. cap. xxiix. Galeno recentiorem facit; qui in proœm. Lexici Hippocratici, ubi catalogum recenſet librorum, quos vere Hippocratis dici adſeverat, τὸν ὅρκον expreſſe meminit, & cum Lege, libro de Arte, & de Veteri Medicina, ad artis præcepta pertinere ait. Non dicam nunc, *Divum* quoque *Hieronymum*, Ga- 19
leno ducentis tantum annis poſteriorem (ut qui imperante

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 27 sur 248

©BIU Santé

Conſtante, Imp. Conſtantini M. filio, anno cccxl ii. in lucem prodijt) & D. Gregorium Nazianzenum, Hieronymo σύγχρονον, Iusjurandum Hippocrati tribuere. *Hippocrates*, inquit Hieronymus, Epiſt. iii. ad Heliodorum, *adjurat diſcipulos ſuos, antequam doceat, & in verba jurare compellit; extorquetque ſacramento ſilentium; ſermonem, inceſſum, habitum, moreſque præſcribit.* Nazianzenus vero eandem ob cauſſam Hippocra-
20 tem *Adjuratorem* vocat, Orat. funebri Cæſarij fratris. Neque aliter ſenſit Medicus ille, ex Methodicorum Secta, ſive *Octavius* eſt *Horatianus*, ſeu potius *Theodorus Priſcianus*, quem ſub Theodoſio, aut Gratiano Impp. floruiſſe, inde liquet, quod præceptorem laudet Vindicianum, Valentiniani Imp. ἀρχιατρὸν, qui circa annum cccix. in vivis fuit. Verba, quæ huc faciunt, ſunt lib. iv. Gynæciorum ad Victoriam, cap. vi. *Abortivum nulli dare fas eſt: Vt enim Hippocratis atteſtatur oratio, tam diri reatus conſcientia Medicorum innocens officium non decet maculari.* Quæ verba quidem niſi ad præſens Iusjurandum referas, haud ſcio, quo in loco alio in eam ſententiam ab Hippocrate
21 ſimile quid fuerit prolatum. Quibus omnibus accedat *Suidas*, qui ſub Friderico I I. Imp. circa annum c I ɔ. c c l. floruit, &
22 inter Hippocratis libros τὸν ὅρκον primo loco recenſuit. Conſimilis demum & *Arabum* fuit opinio, ex Græcis hauſta, Iusjurandum nempe non alius quam Hippocratis eſſe fœtum, quod vel ex *Avenzoare* oſtendo, qui ſeculo integro Suida ſuperior, ſub Friderico I. ſeu Barbaroſſa vixit. Is lib. ii. Theiſir. tract. i, cap. v. *quilibet*, inquit, *Medicus tenetur obſervare præcepta Hippocratis: quæ ſunt, quod Medicus non debet diſcipulum docere, niſi prius jurare ipſum faciat, ne utatur medicinis mortiferis, vel venenoſis ullo modo.* Nec recentior forte fuerit Avenzoare Arabs ille, quem, mentito Galeni nomine, in præſens Iusjurandum commentatum, paullo ante dixi: ſed videantur in hanc rem quædam etiam apud Ioan. Obſopœum. in præf. opuſc. quorund. Hipp. quæ ſeparatim edidit; Ioh Heurnium, in princ. Comm.

©BIU Santé

Comm. in ὅρκον Ioh. Raphaëlem Moxium, lib. 11. meth. med. morb. ac gravid. per venæ ſect. cap. xv. & Franc. Ranchinum. Comm. ad Jusjurandum Hipp. Itaque apud me quidem certum eſt, ὅρκον non alterius eſſe auctoris, quam Hippocratis Magni, qui præ cæteris, ut dixi, Medicinam excoluit, & princeps in artis formam redegit: quique vere eſt magnus ille hujus diſciplinæ Oceanus, ut Homeri verſibus ex Iliad. φ, utar, 23

Ἐξ ὅπερ πάντες ποταμοὶ, & πᾶσαι θάλασσα,
Καὶ πᾶζαι κρηῶαι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι.

Ex quo ſane omnes primum fluvij, & mare totum,
Fonticulique omnes ſurgunt, puteique profundi.

Quibus autem, & cui fini Jusjurandum hoc auctor præſcripſerit, haud difficile eſt conjectare. Norat ſapientiſſimus ſenex medicinam rem ſacram eſſe, quam non niſi initiatis tradi, nec ab alijs quam pietatem profeſſis tractari oportebat. Quum vero duplex haberet diſcipulorum genus, aliud tironum, & qui primum arti animum adplicare geſtiebant; aliud eorum, qui in eadem jam progreſſus fecerant, & vel exercere eam, vel profiteri, ac docere alios cogitabant. Illi nomina ſua ſcribæ medico dare, & juramento ſe obſtringere cogebantur; quod νόμον ἱητρικὸν Hippocrates vocat, ut infra cap. XII. docebimus. Ab his verò, artem jam exercituris, in qua multa occurrunt non aliis revelanda, quamque pie tractari par erat, ſilentium, pietatem, atque id genus alia ſtipulabatur. Faciebat autem hoc, ut tanto arctius eos conſtringeret, interveniente Numinis atteſtatione, & invocatione in jurantis pœnam, ſi fallerent ac pejerarent. Nam ut Ulpianus Rhetor ait, in enarrat. Demoſth. contra Midiam. πιστότεροι οἱ ὅρκοι τῶν ἁπλῶς λεγομένων· *Plus jurijurando fidei habetur, quam ſimplici adſertioni.* Ut propterea, dicente Cicerone lib. III. de Offic. *Nullum vinculum ad adſtringendam fidem majores arctius eſſe voluerint*: quod 24 25

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 29 sur 248

©BIU Santé

hoc nempe ſit ὕϛατόν τε ἐν ἀνθρώποις, ϗ ἐχυρώτατον τῆς εἰς ἀλλήλους πίϛεως τε ϗ ἀληθείας ἐνέχυρον· *Vltimum inter homines, & firmiſſimum, & fidei mutuæ & veritatis pignus*, ut eſt apud Procopium, Perſicor. lib. 11.

CAPVT SECVNDVM.

ὍΡΚΟC.]

SUMMARIA.

1. Ὅρκος, ὅρκιον. 2. Ὅρκος etymologiæ diverſæ. 3. *Iusjurandum*, *jurandum*. 4. *Iuppiter* ὁρκιος. 5. *Erynnies, perjurii vindices*. 6. *Iuppiter* ἑπώμοτος. 7. *Dius Fidius*. 8. *Sacramentum*. 9. *Sacramenti etymon*. 10. *Iuramen*. 12. *Valla notatus, & Panormitanus*. 12. *Dejurium*. 13. *Voculæ* De *ſignificatio in compoſitione diverſa* 14. *Iusjurandum quid?* 15. *Ariſtoteles explicatus*. 16. *Religio*. 17. *Obſtringi & exſolvi religione*. 18. *Mynſingeri ſcrupulus*. 19. *Sub affirmatione negatio aliquando incluſa*. 20. *Ariſtoteles illuſtratus*. 21. *Franc. Philelphus laudatus*. 22. *Iuramentum* ἔπακτον, ἐπώμοτον, καθώμοτον, ἀπώμοτον. 23. *Iuramentum abnutivum, adnutivum*. 24. *Iuramentorum apud* IC*tos differentiæ*. 25. Ὅρκος *Hippocratis ad quam differentiam referendus?*

1. QUOD communiter Græci ὅρκον, Iones ὅρκιον dicunt, id Latini *Iusjurandum*, *jurandum*, *juramen*, *ju-*
2. *ramentum*, *ſacramentum*, *dejurium* adpellant. Ὅρκον quidem Euſtathius refert veteres cenſuiſſe dictum ἀπὸ τῦ ὅρυ, ſeu *limite*, quod ὁρίζωσίν τι ὁμολογητικῶς ὀμνύοντες· *determinent aliquid qui definitive jurant*. Ipſe vero ἀπὸ τῦ εἴργειν, quod eſt *cogere*, derivat; aut quia is qui jurat, καθείργυταί πως οἷς ὁμολογεῖ· *cohercetur quaſi, aut compellitur ad ea præſtanda, quæ jurando adfirmat*. Alij ἀπὸ τῦ ἀρκεῖν deducunt, id eſt, *ſufficere*, quod liti-

©BIU Santé

litibus finiendis ſufficiat, *maximumque ſit earum expediendarum remedium*, ut Gajus I C. vocat, L. 1. D. de jurejur. & ſit πάσης ἀντιλογίας πέρας ἐς βεβαίωσιν· *finis omnis controverſiæ ad certitudinem*, ut cum D. Paullo loquar, ex Epiſt. ad Hebræos cap. VI. ſive ἀπὸ τῦ ἀρκεῖν, quod eſt βοηθεῖν, *juvare*, ut notat Auctor Etymologici. ὥσπερ γὰρ βοηθήματα αὐτῷ χρῶνται οἱ ἀδικημένοι, inquit: *Pro remedio eo utuntur, qui injurioſi ſunt in alios.* Jo. Guiliel. Stuckius lib de ſacrific. Gentil. pag. XCI. ὅρκον dici putat, quaſi *orcum*, quod iurisjurandi violatores ad orcum ſint detrudendi, qua opinione ut abundet per nos licet. Latinis *jusjurandum* dictum alij volunt, quod *juſtum jurare* oporteat. At Apuleio lib. de Deo Socr. jusjurandum eſt quaſi *Jovis jurandum*, cujus originationis teſtem laudat Ennium. Exſtat hujus verſus in hanc rem apud Ciceronem lib. III. de Officijs. 3.

Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.

cui Turnebus Adverſar. lib. VI. cap. XVII. & Lipſius lib. I. Elector. cap. XIIX. addunt alium Nævij.

Ius ſacratum, Jovis jurandum ſagmine.

Nam ſimpliciter etiam *jurandum* pro jurejurando veteres dixiſſe, ex Tacito colligimus, qui eadem voce uſus eſt Annal. lib. IV. *Tanta contentione, ut & jurando obſtringeret è Repub. id eſſe.* Quemadmodum & Ammianus Marcellinus lib. XVI. *Id ſe nec ſperare, nec adipiſci velle, jurando affirmans.* lib. XVII. *Iurandi execratione reſtituere univerſos promiſit.* lib. XXIII. *Trajanus fertur aliquoties jurando dicta conſuevisſe firmare.* Et Ælius Spartianus in Ælio Vero. *Vt ſuæ ſatisfaceret & voluptati, & jurando.* Cæterum jusjurandum quaſi Jovisjurandum dixerunt, quod per atteſtationem ſummi numinis, quod Jovem ſuum eſſe gentilitas credebat, jurandum cenſerent. Atque ex hoc Jovis defluxit epitheton, ut ὁρκιος ſeu *jurator*, diceretur, aut etiam ἐφόρκιος, quod nominis habet Heſychius in Lexico. Per eum Hippolytus jurat apud Euripidem: 4.

Νῦν

©BIU Santé

Νιῶ δ' ὅρκιόν σοι Ζῆνα, & πέδον χθονὸς,
Ὄμνυμι·
Per Horcium tibi Iovem, & terræ ſolum,
Dejuro.

& Neoptolemus apud Sophoclem Philoctete.

—— Ζῆνα δ' ὅρκιον καλῶ.
—— *Jovem Horcium teſtem voco.*

Τοῖς ὅρκοις enim ipſum præſidere voluerunt, & perjuria vin-
5. dicare; quanquam horum vindictam Heſiodus, ἐν ἔργοις, Erynnibus tranſcribat, eaſque ὅρκους πινυμόφους, ſeu *perjurij vindices* vocet: quæ Homero etiam Iliad. τ. ſunt,

—— —— ἄιδ' ὑπὸ γαῖαν
Ἀνθρώπους τίνυσθαι, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ·
—— —— *quæ tellure ſub ima*
Caſtigant meritis hominum perjuria pœnis.

6. Sophocles non alio ſenſu in Trachinijs Jovem vocat ἐπώμοτον, ſeu ὅρκου ἐγγυητὴν, ſive *ſponſorem*, ut explicat Suidas, aut τῶν ὅρκων ἔφορον, ſeu *præſidem*, ut habet Scholiaſtes Thucydidis Hiſt. lib.
7. 1. videturque idem fuiſſe, quem Romani vocabant Δία Πίστιον, & *Dium Fidium*, cui eaſdem etiam partes reſignabant. Erat olim Iovis Horcij ſignum in Olympiæ curia, ſpecie maxime formidanda, utraque manu fulmen tenens, ante cujus pedes tabula viſebatur ænea, cum inciſis elegis, quibus à perjurio deterrebantur homines, ut auctor eſt Pauſanias in Eliacis prior.
8. Iusjurandum vero alio etiam nomine *ſacramentum* dici monuimus, & teſtis eſt Cicero lib. III. Offic. quo ſenſu Horatius *perfidum ſacramentum* pro *perjurio* ſumpſit, lib. II. Carm. Ode
9. XVII. Derivat autem ſacramentum Varro lib. IV. de L. L. *à ſacro*, quaſi *ſacræ rei*, ut ait, *arctiſſimum vinculum, non profanandum*. Et juxta Owenum Epigr. lib. II. Ep CXXX.
Sacramenta vocant ſacra juramenta Latini.
10. Ex eodem vero fonte & *juramen*, qua voce uſus eſt Guntherus in Ligurino, lib. III. & IIX. & *juramentum* ſuas derivationes

ſortiun-

©BIU Santé

ſortiuntur. Ita enim Iſidorus lib. different. quem Barthius citat Adverſar. lib. xxxii. cap. i. & MS. penes ſe habuit: *Iura antiquitus ad res divinas pertinebant, unde juramentum eſt, velut ſacramentum.* Ineptit enim Laur. Valla, dum lib. vi. Elegant. 11
cap. xxxvii. juramentum *à jure manente* deducit; nec minus ipſo Panormitanus, in rubr. tit. de jurejur. qui *jurù* quaſi *aſtringimentũ* dici voluit. Demum vero jusjurandum etiam *dejurium* 12
vocabatur, à *dejero*, quod eſt, *valde juro*. Quanquam enim 13
τὸ *de* in quibuſdam, quicum componitur, minuendi vim habeat, tamen in plurimis etiam ſignificationem vocis intendit, ut pluribus oſtendere poſſem, niſi facere id jam pridem occupaſſent viri doctiſſimi, Io. Bernartius Notis ad Statium lib. i. Thebaid. & Achilleid. Frid. Taubmanus Notis ad Plauti Epidic. act. i. ſc. i. Chriſt. Becmanus in Origin. L. L. in voce pleo. & Sam. Dreſemius Notis ad Ioſ. Iſcani lib. i. de bello Troj. Ad noſtram mentem hoc ſenſu loquitur Plautus Caſina act. iii. ſc. iv.

Per omnes Deos & Deas dejuravit.

& Rudente act v. ſc. ii.

Dejura te mihi argentum dare.

Item Apuleius lib. ix. Metam. *Idque dejerans confirmat per omnia divina numina.* & lib. x. *Dejerant utrique, nullam ſe prorſus fraudem, nullam denique ſurreptionem fecitaſſe.* Apud Agellium quoque Noct. Att. lib. vii. cap. xiix. *Dejurio vinctum eſſe*, eſt, *jurejurando obligatum teneri.* Sed videamus quid ſit jusju- 14
randum. Scio enim hoc varie diſputari apud IC^tos^, & ab alijs *invocationem divinam* aut *obteſtationem* dici, ab alijs etiam per *contractum*, ab alijs item aliter definiri. Nobis pro noſtro inſtituto ſufficere poterit ea jurisjurandi definitio, quæ eſt apud Ariſtotelem, lib. Rhetor. ad Alexand. cap. xiix. & omnia complecti videtur, quæ ad naturam jurisjurandi pertinere putantur. Ait autem Philoſophus, ὅρκον εἶναι μὴ θείας ἀποφάνσεως φάσιν ἀναπόδεικτον· *Iusjurandum eſſe cum veneratione divina*

 adſer-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 33 sur 248

©BIU Santé

15 *adſertionem, quæ demonſtratione non indigeat.* Paullo aliter eam effert, & quaſi explicat, Clemens Alexandrinus Stromat. lib. VII. & juramentum ait eſſe ὁμολογίαν καθορμικὴν μετὰ θεοπαραληψεως θείας. *adſertionem definitivam cum divina veneratione.* Nec aliud vult Ciceronis illa definitio, quæ eſt lib. III. de Offic. quod ſit *adfirmatio religioſa, Deo adhibito teſte.* Eſt nempe jusjurandum φάσις, ſive ὁμολογία *adſertio* aut *adfirmatio* de re aliqua, eam videlicet ita habere, vel non habere, ita præſtitum iri, vel non iri. Neque tamen ſimplex tantum eſt *adſertio*, ſed ut recte addit Cicero, *religioſa*, aut ut Clemens & Ariſtoteles, μετὰ θείας θεοπαραληψεως, *cum divina veneratione*, ut quæ fiat interveniente numinis ſupremi, falſam conteſtationem vindicantis, invocatione. Unde Philo lib. de Decalogo, *jusjurandum* vocat *teſtimonium Dei de rebus dubijs*: & lib. de Special. leg. *in re ambigua Dei teſtis citationem*. Et Simplicius Comm. in Epicteti Enchirid. cap. XLIV. ait, jusjurandum μαρτύρα τὸν Θεὸν καλεῖν, καὶ μεσίτην αὐτὸν, καὶ ἐγγυητὴν ἐφ' οἷς λέγει, θεοῖς ἑαυτόν. *Deum citare teſtem & ſequeſtrum, ac ſponſorem*
16 *facere eorum quæ dicuntur.* Ea cauſſa etiam Paullus IC. jusjurandum *religionem* dixit L. XXIV. D. de juram. idque ut Lactantius quidem lib. IV. cap. XXIV. voluit, *quod jurejurando mens juranti ligetur & religetur*: ſeu potius, *quod juramentum jurantem religione obſtringat*, hoc eſt, *conſcientiæ ſcrupulum moveat*, ob nu-
17 minis conteſtationem adhibitam. Erat enim *religione obſtringi*, nihil aliud Romanis, quam *conſcientiæ metu terreri*: quemadmodum viciſſim *religione exſolvi* dicebatur is, *cui metus iſte adimeretur*, ut pluribus docet Budæus in annotat. prior. in Pandect. Originationes alias aliorum, videre Lector poterit apud Stuckium, lib. de ſacrific. Gentil. in pr. quas non tranſcribo. Sunt tamen qui definitiones laudatas ſugillent, vel ea de cauſſa, quod generis loco ſola adfirmatio ſit poſita, quum tamen tam ſuper rei negatione, quam adfirmatione, juramentum exigi & præſtari ſoleat, ex L. III. §. III. D. de Jur. &

L. V.

©BIU Santé

L. V. Cod. de jurejur. atque inde juramentum aliud *adfirmativum* aliud *negativum* IC^tis dicatur. Sane hic ſcrupulus Cl. 18
Mynſingerum noſtrum impuliſſe videtur, ut Comm. ad §. xi. Inſtit de action. juramentum per adfirmationem & negationem ſimul definierit. Facile tamen fuerit litem hanc compo- 19
nere. Adfirmatio enim, ut in prolatis definitionibus ſumitur, implicitam ſibi habet negationem, eademque ratione hic uſurpatur, qua in *pacti* definitione verba *dandi* & *faciendi*; quæ non ea tantum ibi notant, quæ dantur aut fiunt, ſed & quæ non dantur, vel non fiunt, ut docet Weſembecius in paratitl. D. de pact. num. 11. De adfirmationis vocabulo rem ita habere, vel ex hac ipſa formula jurisjurandi Hippocratici, quam ſub manibus habemus, liquere poſſit. In ejus namque exordio, jurans ſpondet vel adfirmat, ſe omnia obſervaturum & facturum, quæ ſit promiſſurus; quæ ſane adfirmatio eſt. Aſt ubi ad ſpecialiora devenitur, adfirmative primum adſerit, ſanctimoniam vitæ ſe velle ſervare, præceptores venerari, &c. mox negative iterum promittit, non exhibiturum ſe medicamentum mortiferum aut abortionis, &c. nihilominus utraſque adſertiones, & per adfirmationem & negationem factas, ad eandem & primam illam adfirmationem generalem reducere oportet. Quare et- 20
jam Ariſtoteles, quaſi iſtam dubitationem ſubortituram præviderit, ubi de adfirmatione proprie loquitur, & uti ea ſimpliciter negationi opponitur (ut in libris de interpretatione) ſemper vocabulo κατάφάζεως ad *adfirmationem* ſignificandam utitur, quemadmodum per ἀπόφασιν *negationem* intelligit. Juramentum autem ſimpliciter φάσιν, ſive *adſertionem* dicit, ac ſi ſub una eademque voce, & κατάφασιν & ἀπόφασιν comprehenſam, aut intellectam vellet. Quod forte & doctiſſimus in- 21
terpres advertit, Fr. Philelphus, atque idcirco φάσιν non *adfirmationem* dicere voluit, ſed *dictionem*, ut & *negans* & *adfirmans* ſub ea adſumi poſſet. Adi, ſi placet Setſerum tract. de juram. quem, dum hæc commentaremur, noſtræ ſententiæ adſtipulan-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 35 sur 248

©BIU Santé

tem invenimus, lib. 1. cap. 1. num. x. De differentiis vero juramentorum aliquid addere, vel eam ob cauſſam operæ pretium puto, ut conſtet ad quam ſpeciem Hippocraticum referri
22 debeat. Invenio autem apud veteres, juramentorum tres potiſſimum differentias fuiſſe in uſu, à Suida, in voce ἔπακτος notatas. Aliud nempe ipſis fuiſſe ἔπακτον, aliud ἐπώμοτον, aliud καλώμοτον, ubi tamen pro ἐπωμότῳ Auctor Etymologici, & Harpocration in Lexico, ſubſtituunt ἀπώμοτον. Quæ ſpecies ut inter ſe differant, non ita liquet. Juramentum ἔπακτον quidem ab Iſocrate, in paræneſi ad Demonic. exponi videtur *jusjurandum delatum, & ab alio impactum, non ſponte ſuſceptum.* Unde à Suida quaſi ἀλλαχόθεν ἐπιφερόμενον, καὶ μὴ αὐθαίρετον, ἀλλ' ἐφ' ὃν ἕτερος ἄγει, *ab alio delatum, nec ultroneum, ſed ad quod alius cogit*, vocatur. At mox ab alijs Suidas id dici ait: ὃν ἄν τις αὐτὸς ἐκὼν ἑαυτῷ ἐπάγηται, τιθεὶς αἰρεῖται· *Quod quis ipſemet ſua ſponte ſibi offert, & ultro recipit.* Ἐπώμοτον vero ὅρκον, Æmylius Portus, Notis ad Suidam, ait eſſe, *quo quis ſe, vel alium jurejurando aſtringit:* Καλώμοτον, *quod quis contra ſe, vel alium jurat.* Ab omnibus his differt ὅρκος ἀπώμοτος quem Heſychius vult eſſe, *quando accuſatus juramento negat fieri poſſe, ut ſe judicio ſiſtat, & adverſarius contra jurat.* Suidas tamen (in τῷ ἱερῷ κεφαλαίῳ) formulam ἀπωμότου ὅρκου eſſe putat, qua juratur, μὰ τὸν δί' ὃν· at
23 καλωμότου formulam, ναὶ μὰ τὸν δία. Quo ſenſu Ioan. Meurſius, ex Gloſſis veteribus τὸ καλώμοτον Latine dicit *Adnutivum*, τὸ ἀπώμοτον *Abnutivum*. Quicquid ſit; ſi omnes differentias excutias, nullam reperies ad quam rectius Iusjurandum Hippocratis referri queat, præter eam, quæ ἐπώμοτος appellatur. In eo enim Hippocrates Medicum futurum in verba jurisjurandi concepta adſtringit, & jurans ipſe ſciens volenſque & animo deliberato, eadem in ſe recipit; ſanctèque omnia ſine dolo aut fraude ſer-
24 vaturum promittit. Apud IC^tos hodie aliter & varie juramentorum differentias conſtitui videmus, dum aliud *juramentum in lite* dicunt, aliud *extra litem*; quorum hoc quidem vel *confirma-*

©BIU Santé

firmatorium ipſis viciſſim eſt, vel *promiſſorium*; ad quod rurſus *fidelitatis* & *adſecurationis* juramenta referunt: illud vero eſſe ajunt vel *irrigiendæ religionis* cauſſa; vel *controverſiæ finiendæ*, & in varias viciſſim differentias ſubdividunt. Quas, quia noſtro inſtituto parum faciunt, pluribus non attingo. Hoc ſaltim monuiſſe ſufficiat, Hippocraticum jusjurandum, ſi omnes differentiæ iſtæ excutiantur, ad nullum aliud quam id, quod *extra litem & promiſſorium* vocant, referri poſſe. Hoc enim JCtis eſt illud, *quod ad fidem ſancte adſtringendam præſtatur, & in quo fides verbis conceptis in futurum tempus religioſe promittitur*, cui fini Hippocraticus ὅρκος ab Auctore olim diſcipulis præſcriptus. 25

CAPVT TERTIUM.

Ὄμνυμι Ἀπόλλωνα.]

SUMMARIA.

1. *Jurisjurandi Hippocratici tres partes.* 2. Τῷ ὀμνύειν ἔτυμον. 3. ὅρκον διδόναι. 4. *jusjurandum dare.* 5. *dicere.* 6. *facere.* 7. *patrare.* 8. ὀμνύειν ὅρκον, *pleonasmus.* 9. ὁρκωμοσία, ὁρκωμοτεῖν. 10. *Pleonasmi Græcis familiares.* 11. *Atteſtatio Numinum in jurejurando Hippocratico,* 12. *Cauſſa multitudinis Deorum apud Gentiles.* 13. *Cauſſa alia.* 14 *Macrobii ſententia de DIS veterum plurimis.* 15. *Item Philippi Cluverii.* 16. *Sententia & propoſitum Auctoris.*

PRælibatis hiſce ad jusjurandum ipſum progredimur, quod tribus potiſſimum partibus abſolvi pridem nos docuit Cl. Zuingerus, in Tabulis ad Hipp. In priori, tum forma, tum materia jurisjurandi proponitur. Etenim & DI Medici, & in univerſum ſimul omnes, in teſtimonium citantur, atque omnia ſubſcripta κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν, ſeu *pro poſſe ac noſſe*, ſancte ſervanda promittuntur. 1.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 37 sur 248

©BIU Santé

In altera, articuli ipſi plenius enarrantur, qui à Medico Aſclepiadeo, ſive origine & nativitate talis ſit, ſive adoptione & inſtituto, requiruntur, ipſumque ſervare convenit. Tertiam abſolvit καλάρα, ſeu *imprecatio*, qua juraturi, ſi jusjurandum ſervent, felicia quævis, ſin fallant, diras capiti ſuo, & contraria omnia imprecantur. In ſingulis partibus explicandis ductum Hippocratis & textum ſequemur. Inquit igitur, Ὀμνυμι Ἀπόλλωνα, *Iuro Apollinem*. Ὅρκον Græcis eſſe id, quod *jusjurandum*, mo-
2. nuimus. Ὀμνύναι vero, ὀμνύειν, & ὀμνύσθαι, Latinis eſt, *juramentum præſtare*, ſeu *jurare*. Voces Græcas ab Hebræo *Amen*, quod eſt *verum dixit*, *adſirmavit*, deducunt Io. Guil. Stuckius, de ſacrif. Gentil. pag. xcii. & Paullus Cypræus de jure Connub. part. i. cap. xiv. §. xxv. ſumm. ii. Auctor Etymologici ab ὁμῆ & νόειν, vel ἀπὸ τῆ ὄμμα νόειν derivat, quod jurantes iis, quæ jurant, oculis annuant. Sunt qui ἀπὸ τῆ ὀμνύειν eſſe putent Latinum *omen*, & *ominari*; quod jurantes vel ſibi,
3. vel aliis, bene maleve ominentur. Græci alias ἄνευ τῆ ὀμνύειν dixere ὅρκον διδόναι. Homerus Iliad. τ. ἔμπης δέ τοι ὅρκια δώσω. Xenophon Helleſpont. lib. i. ὅρκους ἔλαβον καὶ ἔδοσαν.
4. & alij alibi. Nec alio modo Latinis dictum eſt, *jusjurandum dare*. Plautus Amphitr. act. iii. ſc. ii.

Mane, tuo arbitratu jusjurandum dabo.

Moſtellaria act. v. ſc. i.

Quin jusjurandum pollicitus eſt dare, ſi vellem, mihi.

& Terentius Adelphis act. ii. ſc. ii.

——— ——— *Dabitur jusjurandum, eſſe te*
Indignum injuria.

5. Cæſari idem eſt, *ſacramentum dicere*, lib. i. de bello civili. *Milites Domitianos ſacramentum apud ſe dicere jubet.* qua loquu-
6 tione & Horatius utitur lib. ii. Carm. Ode xvi. Seneca, ſi MSS. exemplaribus fides arbitranda, dixit *juramentum facere*, lib. ii. de Clement. cap. i. *O vocem in concionem omnium mortalium mittendam! in cujus verba principes regeſque juramentum faci-*

©BIU Santé

factant. In fœdere Tulli Hoſtilij, cum Albanis percuſſo, apud 7.
Livium, lib. 1. dicitur *juajurandum patrari*. Vocabulo autem ὀμνύειν Græci nunc ſolo utuntur, nunc cum vocula ὅρκῳ conjuncto, & eleganti pleonaſmo ὀμνύειν ὅρκον dicunt, ſeu *jurare* 8.
juramentum. Ita Homerus Iliad. α.

——— Καὶ δὴ μέγαν ὅρκον ὀμεῖμαι.

& Odyſſ. δ.

——— ὤμοσα κάρτερον ὅρκον.

& ſæpe alibi. Heſiodus quoque ἔργων α.

——— δὴ δ' ὅρκον ὀμεῖται.

quem loquendi modum paſſim deinde uſupant alij. Sunt 9.
vero qui utramque voculam in unam coaleſcere ſinunt, & ὁρκωμόσιον & ὁρκωμοσίαν *jujurandum* dicunt, & ὁρκωμοτέειν *jurejurando jurare*. Exempla ſunt apud Platonem in Phædro, D. Paullum in Epiſt. ad Hebr. cap. VII. Sophoclem in
Antigone, &c. Similes autem pleonaſmo iſti ſunt alij, tam 10
apnd Græcos quam Latinos, non minus elegantes. Nam eadem loquendi formula Euripides, Iphigenia in Aulide, ait ὀνείδος ἐξονειδίζειν, *probrum exprobrare*: Homerus Iliad. λ. χρεῖος ὀφείλειν, *debitum debere*; Antiphanes apud Athenæum Dipnos. lib. IV. ζῆν βίον, *vitam vivere*; Iſocrates alicubi ἀσθενεῖν νόσον, *ægrotare morbo*; Horatius lib. III. Ode XIX. & lib. I. Epiſt. XVI. *pugnata bella*; & Epodon Ode I. *militari bellum*; Seneca in conſolat. ad Marciam, *agere opus*. Nec alio loquendi modo Hippocrates in hoc ipſo ὅρκῳ utitur, quando χρεῶν χρηίζοντα vocat eum, qui *rebus ad uſum neceſſarijs indigeat*. Sed 11
pergamus ad alia. Nos qui veræ religioni nomen dedimus, ſacris litteris edocti, per unius veri vivique Dei nomen atque in eo uno ſoloque, ſi neceſſitas ferat, jurandum ſcimus. At Hippocrates, Vir animi quidem devoti, & numinis, quod eſſe noverat, colentiſſimus; quia tamen, quodnam id eſſet, ignorabat, pro ævi ſuperſtitione per Deos quos plurimos gentilitas agnoſcebat, & novos ſibi ſubinde fingebat, ὅρκον ſuum, cætera

ſanctiſ-

©BIU Santé

ſanctiſſimum, concepit conſcripſitque. Nominat in primis Apollinem & Æſculapium, atque hujus filias, præſides Medicinæ præſtiteſque habitos, quos non Deos nos ſcimus, ſed homines fuiſſe. Quia vero arte medica atque ope, dum in vivis fuere, plurimis mortalium operam ſuam in morbis demulcendis aut averruncandis commodarunt, tractu temporis ob bene merita divinos honores, & creſcente ſuperſtitione, numinis
12 cultum ſunt conſequuti. Non alia enim ex cauſſa Deorum illa gentilium multiformis multitudo maximam partem originem traxit, quam quod eos, qui rudi adhuc ævo, vel uſum aliquem rerum prius ignotarum alijs commonſtarent, aut artis alicujus jacerent primordia, aut meritis ſingularibus plurimos ſibi devincirent, tanquam quibus ſupra alios aliquid deberetur, ſummis honoribus mactarent, & ſuperſtitioſe colerent, tandem etiam, præſertim ab obitu, pro Dis adorarent. Tangit id Plinius nat. hiſt. lib. 11. cap. VII. verbis elegantibus, quæ adſcribo: *Deus eſt mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. hac proceres iere Romani: hac nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi Rector, Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adſcribantur.* Et Cicero lib. 1. de Nat. Deor. *Suſcepit vita omnium, conſuetudoque communis, ut beneficijs excellentes viros in cœlum fama ac voluntas tolleret. Hinc Hercules, hinc Caſtor, hinc Æſculapius, hinc Liber.* Et lib 11. de Legg. *Divos*, ait, *& eos qui cœleſtes ſemper habiti ſunt, colunto, & illos, quos merita in cœlum vocaverint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.* De quibus vere & Horatius Carm. lib. 111. Ode 111.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas, &c.
Hac te merentem, Bacche Pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit. Nec

©BIU Santé

Nec diſſimulat Chryſoſtomus ad cap. XII. Epiſt. II. ad Corinth. εἰδωλολατρείας, inquit, τῇ δεχῇ ἐκράτησαν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων· *Idolorum cultus obtinuerunt, quum homines ſupra meritum in admirationem venirent.* Adi etiam ſi placet Lactantium lib I. cap. IIX. Minucium Felicem in Octavio, Cyprianum de Idol. vanit. Primæ huic occaſioni tam multi- 13
formium Deorum, accedebat mox altera, qua credere vix poterant homines, artem aliquam, quæ mortalium uſui eſſet neceſſaria, ſummaque utilitate & excellentia ſe commendaret, ab hominibus potuiſſe inveſtigari. Deorum potius munus eſſe cenſebat, è cœlo demiſſum, eamq; ob cauſſam aut primos inventores Deorum numero adſcribere, aut cuilibet arti peculiarem, qui ei præeſſet, ejuſve inventionem ſibi vindicaret, Deum effingere ſatagebant. Iſte igitur bene merendi de mortalium genere conatus; iſte res præclaras DIS inventoribus adſcribendi, Deoſque artibus præſtituendi mos; Apollinem quoque & Æſculapium, Hygeian & Panaceian cœlo olim ſacravit, & Deos Deasque fecit, ut Hippocrates eos omnes, tanquam medicæ artis inventores, patronos ac tutelares, in diſcipulorum adjuratione voluerit invocari. Nec tamen ſum ne- 14
ſcius Macrobium Saturn. lib. I. cap. XVII & XX. hæc aliter explicare, & contendere, per Apollinem, Æſculapium, Hygeiamque nihil aliud voluiſſe veteres ſignificare, quam Solem aut Lunam. Rem totam uberius tractat. Phil. Cluverius German. 15
antiq. lib. I. cap. XXV. & ſeqq. & prolixius demonſtrat, priſcos omnes Deum unum ſummumque omnium conditorem, ex avita majorum traditione non quidem ignoraſſe, ut Deum tamen non coluiſſe, atque ad creaturas, Solem Lunamque potiſſimum, qui magis in oculos incurrebant, ſe convertiſſe, & utrumque ſidus, alijs ſubinde appellationibus nominantes, divino cultu proſequutos. Cui ſententiæ, ut non prorſus refra- 16
gor, ita heic tamen loci de Apolline Medico, cæteriſque, quos nominat Hippocrates, paullo plenius quæ de ipſis, qua tales

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 41 sur 248

©BIU Santé

habiti fuere, auctores ſcriptis conſignarant, quæque in rem præſentem, ac jurijurando Hippocratis illuſtrando, facere aliquid poſſe videbantur, operæ pretium duxi adnotare.

CAPUT QVARTUM.

Ἀπόλλωνα ἰητρὸν.]

SUMMARIA.

1. *Apollines quattuor, vel ſex.* 2. *Tertius inter eos, medicinæ inventor.* 3. *Ab eo medicina ars Apollinea.* 4. *& Phœbæa.* 5. *Apollinis nomen unde?* 6. *item Phœbi.* 7. *Apollo Medicus.* 8. *Apollo Paan.* 9. *ars paeonia.* 10. *Paan hymnus.* 11. *Apollo ἀκέσιος.* 12. *cognomina & epitheta varia alia.* 13. *ejus in morbis invocatio.* 14. *Apollini ſacrum apud Athenienſes Gymnaſium.* 15. *Eidem ſacer numerus ſeptenarius.* 16. *Apollini divinandi munus tributum.* 17. *Prognoſis medica.* 18. Ἀπολλώνια *templa Apollinis.* 19. *Apollinis medici ſimulachrum.* 20. *quur imberbi facie pingatur?* 21. *apud Syros vero barbata?* 22. *quid additi ſerpentes notent?* 23. *item arcus?* 24. *& lyra?* 24. *quur Gratiis comitatus?* 25. *medicus* χαρίεις, *ſeu gratioſus.*

1. APollines, ſi Ciceroni credimus, lib. III. de Natura Deor. *quattuor* fuere. *Primus* Athenarum antiquus cuſtos, Vulcano natus; *alter*, Corybantis filius, in Creta editus; *Tertius*, Jove & Latona prognatus; *Quartus*, Arcas, quem Arcades, quod leges ipſis dederit, *Nomium*, & *Nomionem* vocarunt. Hunc Clemens Alexandrinus in Protreptico, ex Ariſtotele Sileni filium facit; & ex eodem Ariſtotele addit *quinctum*, natione Lybin, Ammone genitum; & ex Didymo Grammatico *ſextum*, Magnetis ἔκγονον.

2. Qui tamen tertius in his eſt, atque alio nomine *Phœbus* appellatur, is eſſe ſemper olim habitus fuit, qui primus omnium, aut

©BIU Santé

aut certe inter primos Muſicen, Poëſin, & Medicinam excoluerit. De Medicinæ inventione ipſe apud Ovidium lib. 1. Metam. fab. XIII. gloriatur :

Inventum medicina meum eſt, opiferque per orbem
Dicor, & herbarum eſt ſubjecta potentia nobis.

Hoc ſenſu Q. Serenus, cui Sammonici cognomen vulgus tribuit, lib. de re med. in rem præſentem ipſum invocat :

Phœbe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Ovidius *medicæ opis repertorem* nominat, lib. I. de remed. Amor. Horatio in Carmine Seculari eſt,

Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus.

Pindaro in Pythijs, Ode IV.

Ὁ βαρειᾶν νόσων
Ἀκέσματ' ἀνδρεσσι
Γυναιξὶ μήδ.
Qui gravium morborum
Remedia viris &
Mulieribus præſtat.

Hunc φρύγιον μανικὸν, ſeu δωρύχνιον herbam inveniſſe, & Æſculapio traditam, à ſe *Apollinarem* dixiſſe, auctor eſt Apuleius ille, cujus de virtutibus herbarū exſtat libellus, cap. XXII. 3.
Ab eodem Ovidius lib. III. Triſt. El. III. medicinam *artem* vocat *Apollineam* :

Nullius, Apollinea qui levet arte malum, eſt.

Et lib. III. Faſtor. *Phœbæam*. 4.

Vos quoque, Phœbæa morbos qui pellitis arte.

quæ Nonno Dionyſ. lib. XXVII. XXIX. & ſæpe alibi, eſt φοιβὰς τέχνη. Callimachus in Hymno Apoll. Apollinē ait eſſe, ex quo

Γιγνῶσκ' ἰητροὶ λεδάασιν ἀναβλησιν θανάτοιο.
Addiſcunt medici properantem ſiſtere mortem.

Ipſe Hippocrates Epiſt. ad Philopoem. Apollinem artis me-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 43 sur 248

©BIU Santé

dicæ πατέρα vocat. Dictum autem Ἀπόλλωνα voluit Euſebius lib. III. de præp. Evang. cap. I: ὡς ἀπελαύνοντα, ἢ ἀπαλλάττοντα τὰς νόσους, *tanquam abigentem, aut pellentem morbos.* Auctor Etymologici ἀπὸ τοῦ ἀπολύειν τοὺς ἀνθρώπους τῶν κακῶν deducit, *quod homines à malis liberet*, ſive *morbis.* Latinis dictus creditur ab *apellendo*, apud Macrobium Saturnal. lib. I. cap. XVII. quod mala morboſque aſpelleret. Ea etiam cauſſa peculiari epitheto Athenienſibus, ut auctor eſt Pauſanias in Atticis, ἀλεξίκακον, ſeu *malorum depulſor*, ſalutabatur; qui Sophocli, in Oedipo Tyranno, eſt ἀλεξίμορον, Ariſtophani in Pluto, act II. ſc. III. & act. IV. ſc. III. ἀποτρόπαιον, Euripidi in Hercule fur. ἀπότροπον: Latinè *Averruncum* dixeris. Huic Athenienſes ab oraculo Dodonæo bovem immolare juſſos, teſtis eſt Demoſthenes Orat. adverſ. Midiam. *Phœbi* nomen ἀπὸ τοῦ φῶς & βίος ſunt qui deducant: à *lumine* videlicet & *vita*, ut Φοῖβος ſit, quaſi φώβιος, ſeu *lux vitæ*. Hippocrates in præſenti jurejurando Apollinem ἰητρὸν, ſive *medicum* invocat, de quo cognomine etiam eſt apud Livium, Lib. XL. ab arte, quam olim profeſſus, cujuſque poſtea patrocinium ipſi credebatur commiſſum. Eoque reſpectu in ſacris Romanis Apollini acclamabatur à Veſtalibus, *Apollo Medice, Apollo Pæan*, ut eſt apud Macrobium laudato loco. *Pæan* vero idem, aut *Pæon*, ob eadem artis officia dicebatur, ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ὠδίνας, ſive â *ſedandis doloribus*, quo ſenſu ab Orpheo in hymnis dicitur κακὰ παύων, *mala leniens.* Hinc medicina dicta *ars pæonia*; hinc inditum *Pæoniæ* herbæ ab inventore nomen, & *medicamenta pæonia* vocata, quæ eſſent *ſalutaria.* Nec dubitavit Clemens Alexandrinus lib. I. Pædag. cap. VI. ſalutarem baptiſmum, quo abluimur à peccatis, vocare φάρμακον παιώνιον· quemadmodum idem etiam paullo ante, cap. II. τὸν λόγον τοῦ παιδὸς vocarat μόνον ἀνθρωπίνων ἰατρὸν ἀῤῥωστημάτων παιώνιον· *unicum humanarum ægritudinum medicum pæonium*, ſeu *ſalutarem*. Παιὰν vero dictus eſt etiam hymnus ἀπὸ παιδὸς λοιμοῦ, ſive *peſti*

©BIU Santé

peſti ſedandæ cantari ſolitus, ut meminit Scholiaſtes Ariſtophanis in Pluto. Qui vero Latinis erat *Apollo Medicus*, is Eleis 11
dicebatur ἀκέσιος, ut in poſter. Eliacis commeminit Pauſanias: Euripidi Andromacha, ἀκέσωρ· ἀπὸ τῆς ἀκέσεως, quod eſt ἰάσασθαι, *ſanare*: unde ἄκεσις, ἴασις, *ſanatio*; ἀκέσματα, ἰάματα, *medicamenta*; ἀκέσης & ἀκέσωρ, ἰατρὸς, *Medicus*, apud Suidam & Pollucem lib. IV. cap. XXV. Idem Apollo Nonno in 12
Dionyſiacis, eſt ἀκεσίμβροτος, ἀπὸ τοῦ ἀκέσαι βροτοῖς, ſive *ab hominum ſanatione*. Orpheo in hymnis, quemadmodum & Sophocli in Oedipo Tyranno, ἰήιος audit, ſeu *ſanator*, ἀπὸ τῆς ἰᾶσθαι, & σωτὴρ, ἀπὸ τῆς σώζειν, quaſi *ſervator*; Euripidi in Rheſo σωτήριος: cui ex oracullo ſacra ab Athenienſibus facta, auctor eſt Demoſthenes, Orat. adverſ. Macararum. Plinius *Soſianum* vocare videtur, lib. XXXVI. cap. V. Apud Homerum Iliad. υ. λαοσσόος, à *populo ſervando* cluet; qui Arcadibus in Lycæo, & monte Cotylio, apud Pauſaniam in Atticis ἐπικούριος erat, ſive *auxiliator*. Mileſiis & Delijs idem erat ἄλιος, apud Strabonem lib. XIV. qui id nominis deducit ab ἄλεσθαι, quod eſſe ait ὑγιαίνειν, unde & ἄλη, *cicatrix*. Et ἄλιον interpretatur, ὑγιαστικὸν, παιωνικὸν, ἀλεκὸν, *ſalutiferum, medicum & ſanatorem*. Huic Theſeum immolaſſe, quum in Cretam ad Minoem duceretur, auctor eſt is, quem aliquotiens iam diximus, Macrobius, qui & Deum *Soſpitalem* appellat, à *ſoſpitando*, ſive ſoſpitatis humanæ procuratione. In Epigrammatis Græcis lib I. βιοδώτης, & *vitæ dator* indigitatur: item νηπενθὴς, ἠπιόχλε & ῥυσιπόνος, *à leniendis doloribus & laboribus in morbis*: Nonno Dionys. XXIX. & XL. ὀδυνήφατος, atque ἰδμων τέχνης λυσιπόνου. Apollinem porro hunc Medicum ſanitatem ſibi dari precantes 13
invocabant, cum acclamatione ἰὴ Παιὰν, ἰὴ Παιὰν, *ſana Pæan, ſana Pæan*. Qua intentione apud Plautum, Mercat. act. IV. ſc. I. eidem ſupplicat Dorippa:

Apollo queſo te, ut des pacem propitius,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 45 sur 248

©BIU Santé

Salutem & Sanitatem noſtræ familiæ,
Meoque ut parcas gnato: parce propitius.

Hoc frequens poſtmodum fuiſſe inſcriptiones teſtantur antiquæ, cum ſolenni formula, pro *ſalute ſua* aut *aliorum*. Talis illa, quæ Legiuni exſtat, opido Inſubrum.

SACRUM
NUMINI
APOLLINIS
L. NÆVIVS
SECUNDINUS
PRO. SALUTE. SVORUM
T. V. M. V.
V. S. L. M.

14 Eidem Apollini Medico Athenienſes *Gymnaſium* dedicarunt, quod ab eo, cui ſanitatem acceptam ferebant, vires quoque ad certamina ſuppeditari perſuaſum habebant, ut eſt apud Plu-
15 tarchum in Sympos. lib. IIX. cap. IV. Eidem *numerus ſeptenarius* ſacer erat, non tantum, quod ſeptima menſis die natus ferebatur; quod tradit Heſiodus in Theogon. Proclus in Timæum Platonis, lib. III. & Plutarchus loco dicto, cap. I ſed quod, ut Cenſorinus lib. de die natali, cap. XIV. ait, morbos animi Muſica & numeris lenire ac ſanare conſueverit; ſeu potius, quod ſeptenarius numerus decretorius ſit in Medicina, & tum ſecundum annorum ſeptenarios ætas mutetur, tum dies ſeptenarii morbos judicent, quod uti apud Medicos vulgatiſſimum eſt, ita vide præter eos, ipſiſque adde, doctiſſimum Io.
16 Meurſium, lib. de Denario Pythagor. cap. IX. *Divinationem* inſuper Apollini tribuebant, qua non præſentia tantum ſciret, ſed & præterita in memoriam ſibi revocaret, & futura proſpiceret.

——— *Novit namque omnia vates,*
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur, Ut

©BIU Santé

Ut Virgilius ait lib. IV. Georg. ſive, ut ante ipſum Homerus Iliad. α.

Ἤδη γὰρ τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα·

De hoc nempe gloriatur Apollo ipſe, apud Ovidium Metam. lib. I. fab. XIII.

——— *Per me quod eſt, quod eſtque, fuitque,*
Eſtque, patet.

Hinc epitheta *fatidici*, *veridici* apud Poëtas. Hoc monere vult Arabs ille Commentator in Jusiurandum, cuius ab initio meminimus, quando Æſculapium ait *fingi filium Apollinis, quod medicus opus habeat divinatione, nec deceat deſtitui eum cognitione rerum quæ contingunt in futuro:* hoc eſt, *præcognitione medica*, ut Arabem explicat Ioannitius Syrus in Notis. Immo Hippocrates ipſe, Epiſt. ad Philopoem. Ιητρικὴ, inquit, καὶ μαντικὴ πάνυ ξυγγενεῖς εἰσὶν· ἐπειδὴ καὶ τῶν δύο τεχνέων πατὴρ εἷς Ἀπόλλων, ἐξόσας καὶ ἐσομένας νόσους προαγόρευων, καὶ νοσέοντας, καὶ νοσήσοντας ἰώμενος. *Medicina & divinatio magnam inter ſe cognationem habent: quandoquidem duarum artium unus eſt Apollo, qui & præſentes & futuros morbos prædicebat, & ægrotantes atque ægrotaturos curabat.* Reſpexere enim veteres hoc ipſo ad *prognoſin medicam*, ſive προγνῶσιν, ut vocat Hippocrates, in princ. Prognoſt. additque per eam, ex collatione omnis generis ſignorum ad invicem, τάδε παρέοντα, καὶ τὰ προγεγονότα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, in morbis intelligi, morborumque eventus præſagiri poſſe. Prognoſis nempe medica eſt, quæ doctum medicum ſecernit ab indocto, facitque ut res ægrotantium magis agnoſcere credatur, majoreque cum fiducia homines ſeſe ipſi ſuoſque committere audeant. Ea munitus medicus, dum futura ut præſentia intuetur, non plus quam præſtare potis ſit, promittet, & quod rei palmarium eſt, nunquam in agendo aberrabit, nec cum vulgo animum dejiciet, ſi inſtante criſi omnia in corpore perturbentur, nec ea die, qua criſin futuram proſpicit, generoſo utetur auxilio, aut aliud quid circa ægrotos aget, ob quod reprehendi queat.

©BIU Santé

queat. Itaque & vulgi calumnias evitabit, si omnia prædixerit, ac tum sibi, tum arti auctoritatem conciliabit, admirabilemque omnibus se reddet, quod non una vice Galenus se feciſſe gloriatur, lib. de præcognit. ad Posthumum. Sed ad Apollinem.

18 Ejus templa vulgo dicebantur Ἀπολλώνια, quorum passim plurima habebat, novis subinde cognominibus, locorum ratione, in quibus erant erecta, honoratus, ut *Amazonius*, *Ægyptius*, *Lycius*, *Pataræus*, *Parrhasius*, *Thymbræus*, *Delius*, vocaretur. Celebratissimum tamen omnium fuit *Delphicum templum*, de quo inter alia prodidit Pausanias, in Phocicis, Hippocratem æneum hominis sceleton in ipso dedicasse; seu μίμημα καλεῤῥυκότος ἤδη τὰς σάρκας, καὶ τὰ ὀστᾶ ὑπολειπομένου μόνα· *effigiem hominis, cui diuturniore morbo carne consumpta, sola supereſſent ossa.* De templo vero, quod in *Co* insula habuit, Dion meminit lib. I. quod in eo, ad aram ipsius, morbi morborumque medelæ ad sanitatis redintegrationem examinari consueverant, & morbi genus & symptomata describi. Fuit in eodem jus vetustum asyli, quod firmari sibi Coi à Tiberio Imp. rogarunt, ad annum Urbis DLXXVI, ut apud Tacitum est, Annal. lib. III. *Romæ* Apollini Medico grassante pestilentia pro valetudine populi Romani templum votum, & ædem à M. Fulvio locatam, meminit Livius lib. IV. &, XL Quin & à *Celtis*, quorum magna pars fuerunt Germani veteres, majoresque nostri, Apollinem cultum, similiterque opinionem de ipso habitam, quod mor-

19 bos depelleret, auctor est Cæsar, belli Gall. Comm. VI. Extat Apollinis Medici simulachrum marmoreum Romæ in hortis Pontificis secretis, loco quem *Belvedere* vocant; excellens artifi-

20 cis Græci opus. Visitur ibi *Apollo* facie juvenili & *imberbis*, sinistra fragmentum tenens arcus, clune altero ad saxum reclinis, ad cujus dextrum latus serpens ab imo sursum adrepit. Facies juvenilis est, & imberbis, quod Medicinæ beneficio perpetuam juventutem agere, & eandem hominibus quoque procurare, & floridam semper vigentemque corporis habitudinem elargiri

©BIU Santé

elargiri creditus fuerit, ſive quod facies illa optimam ſanitatem, corporiſque robur denotet, Medicuſque id agere etiam in ſemetipſo moneatur, ut commoda ſit habitudine, & ex Hippocratis conſilio, lib. de Medico. εὐχροος, & εὐσαρκου, *boni coloris, bonæque habitudinis*, quod alios curare vix poſſe putetur, qui ipſe invalitudini ſit obnoxius, ſed ſubinde Menandri illud audire cogatur:

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.
Aliis medens, & ipſus ulceribus ſcatens.

Lucianus tamen in dial. de Dea Syria, morem apud Syros fuiſſe tradit, ut *Apollo barbatus* pingeretur, quod illi prudentiam reſpicerent, quæ in Medico requiritur, & fere non niſi ætate adquiritur. 21 Prudentiam eam & *ſerpens* additus notat; 22 niſi malis veteres cenſuiſſe, medicinæ beneficio quaſi revireſcere homines, atque in vigore conſervari, non ſecus ac ſerpentes ſolent, depoſita quotannis pelle, & ſenectutis veluti exuvijs. Ex ſerpentum vero genere, licet *Dracones* præcipue Æſculapio fuerint ſacri, tamen & Apollini eos dicatos, & in Epiro ſacros fuiſſe, auctor eſt Ælianus de animal. lib. XI. cap. II. & Draconis ſpecie Apollinem apparere ſolitum, ex Suetonio diſcimus, qui in Octavio, cap. XCIV. Auguſtum Imp. Apollinis filium ex eo creditum ſcribit, quod Atia mater ejus, quum in Apollinis templo obdormiviſſet, à Dracone irrepente compreſſa fuerit, & Draconis veluti depicti maculam corpori impreſſam, toto deinceps vitæ tempore geſtarit. Cauſſam, quur Dracones Apollini ſacri fuerint, dicam mox in Æſculapio. *Arcum* ſiniſtra tenet, tum ob jacu- 23 landi peritiam, qua excelluiſſe fertur, & Pythonem ſerpentem interfeciſſe; tum vero quod puniturus homines, vi ſua, veluti ſagittis, peſtem noxiis immittat, unde apud Homerum Iliad. α.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην;
Arcum humeris geſtans, circumtectamque pharetram:

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 49 sur 248

©BIU Santé

item ἀργυρότοξος, & ἑκηβόλος. & ἑκατηβελέτης, ab arcu, & jaculandi peritia adpelletur. Ita autem peſtem Græcis ad Trojam immiſiſſe ob Chryſen ſacerdotem ſuum ab Agamemnone contumelia affectum, fabulatur idem Poëta Lydij hanc ob cauſſam Apollinem λοίμιον, ſeu *peſtilentialem* coluerunt, ſublata peſtilentia ſic nuncupatum. Eundem Siculi ad Pachynum promontorium eximia religione venerabantur & *Libyſtinum* vocabant, quod Lybes Siciliam invaſuros, peſte immiſſa, ad unum pene omnes necaſſet, ut Macrobius refert, loco ſæpius adducto. Hinc adclamationes invocantium ſolennes, ut hoſtes feriret, ἴε Παιὰν, ἴε Παιὰν, *feri Apollo, feri Pean.* Huc reſpicit Archilochus apud eundem Macrobium:

Ἄναξ Ἄπολλον, κῆι σὺ τοῦτ' ἀμφὶ αἰτίης
Σήμηνε, κῆ σφὰς ὄλλυ' ὥσπερ ὀλλύεις.
Tu vero nunc, Rex ô Apollo, noxios
Oſtende, eoſque perde, perdere ut ſoles.

Vocabant autem ab Apolline percuſſos, aut morbis inuſtos, ἀπολλωνοβλήτους. Cæterum ſiniſtra arcum tenet, non dextra, quod promptior crederetur ad bonos juvandum, quam
24 malis nocendum, teſte eodem Macrobio. Alias & *Lyra* eidem adpingi ſolebat, ſive ob Muſices & carminis inventionem: aut forte, quia Muſica etiam ad morborum curationes facere poſſe videretur, quod Medicorum olim plurimi & præſtantiſſimi, Democritus, Pythagoras, Theophraſtus, Cælius Aurelianus, adfirmarunt, nec ſacris litteris adverſatur, ut docte oſtendit
25 Balduinus Ronſſeus Epiſt. Med. xv. In Delo vero ſimulachro ipſius additæ conſpiciebantur *Gratiæ*, quas χάριτας Græci dicebant, citharam, tibias & fiſtulam manibus tenentes; ſive ad
26 eandem Muſices & carminis inventionem notandam; ſive quod Medicum oporteat eſſe *gratioſum*, quem Hippocrates lib. de elegant. Ariſtoteles lib 1. Eth. cap. ult. & Archidamus apud Plutarchum in Apophthegm. Lacon. χαρίεντα, & χάριτα διδοὺς ἥδιστα, hoc eſt, *gratioſum & gratijs delibutum*; Theocritus

©BIU Santé

critus Idyl. XXIIX. Χαρίτων ἱμεροφώνων ἱερὸν φυτὸν, seu *Gratiarum suaveloquentium sacrum germen*, vocarunt. Verum, quos proprie medicos χαριστὰς veteres dixerint, alibi ex professo docuimus.

CAPVT QVINCTVM.

[περὶ Ἀσκληπιοῦ.]

SUMMARIA.

1. *Æsculapii Ciceroni tres.* 2. *Æsculapius Hippocratis.* 3. *Hujus mater Coronis, Phlegyæ F.* 4. *vel potius Arsinoë Messenia.* 5. *quæ primum Coronis dicta.* 6. *Pater incertus.* 7. *Sed Apollo creditus.* 8. *Sacerdotum Apollinis fraudes.* 9. *Medicina olim Regum Principumque propria.* 10. *Æsculapius recens natus expositus.* 11. *Ejus nominis etymon varium.* 12. *Præceptores.* 13. *In factitanda medicina solertia.* 14. *laudes & præconia.* 15. *uxor & liberi.* 16. *fulmine ictus creditus.* 17. *de quo dubitatur.* 18. *quando divinis honoribus coli cœptus.* 19. Ἀσκλήπεια. 20. *Templa Æsculapii plurima.* 21. *Templi Romæ condendi occasio.* 22. ἐγκοίμησις, *seu incubatio.* 23. *Æsculapius quur barbatus?* 24. *& apud Phliasios imberbis?* 25. *ejus baculus nodosus.* 26. *Draco illi quur additus?* 27. *& canis?* 28. *Æsculapio capra immolari solita.* 29. *& gallina nigris rostris & pedibus, digitisque imparibus.* 30. *& gallus.* 31. *Æsculapii simulachrum.* 32. *cur pectore nudum, corpore reliquo tecto.* 33. *Vestitus medicus apud antiquos.* 34. *Æsculapius palliatus.* 35. *Item coronatus, & pileatus.* 36. *In Æsculapium hymnus.* 37. *Quur per Pœonem, Deorum Medicum, jusjurandus non conceperit Hippocrates?*

QVem Ἀσκληπιὸν Græci dicunt, Latini *Æsculapium* vocant. Eo nomine tres olim fuisse Cicero est auctor, lib. III. de Nat. Deor. primum Apollinis filium; alterum secundi Mercurij fratrem; tertium Arsippo & Arsinoë prognatum. Quis vero horum is sit, quem testem hic 1 2

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 51 sur 248

©BIU Santé

hic invocat Hippocrates, ut Medicinæ præſtitem & parentem alterum, non ita facile fuerit determinare. Qui tamen Apollinis audit filius, communiter is eſſe putatur, quem Medicinæ præeſſe fabuloſa voluit gentilitas. Itaque de ipſo, quæ prodita invenimus, paucis delibabimus. Et ſunt primo, inter
3 quos Homerus Hymno in Æſculap. Pauſanias in Corinth. Diod. Siculus lib. IV. cap. IX. Apollonius Argonaut. lib IV. Hyginus fab. XIV. XCVII. CCII. & CCLI. qui illum *Coronide*, Phlegyæ bellatoris acerrimi filia, editum putant, & quidem
4 Epidauri, ut Pauſanias narrat. Alii matrem ipſi fuiſſe contendunt *Arſinoen Meſſeniam*, ex regia Perieris, Regis Meſſeniorum, ſtirpe genus ducentem, adeoque Perieris ex Leucippo filio neptem. In poſteriorem hanc opinionem potius, quam in priorem inclino, cum Cl. Reinero Reineccio, Hiſtor. Iul. part. I. regno XXVI. quod Auctores fere omnes Æſculapium non *Epidaurium*, ſed *Meſſenium* fuiſſe teſtentur, inter quos Tranquillus de Viris illuſt. Lactantius divinar. Inſtitut. lib. I. cap. XX. Ariſtides apud Scholiaſten Pindari, Pythior. Ode III. pluresque alij. Indicio maxime eſt, quod partem Meſſenes, Ithomen & Oechaliam, Euryto olim regnatam, Homerus Iliad. β. Æſculapij filijs paruiſſe tradat: Pauſanias etiam, in Meſſeniacis, Meſſenes regnum penes Neſtorem totum fuiſſe aiat, exceptis ijs populis quibus Æſculapij filij imperarint. Non aliunde autem imperium illud ad ipſos devolutum credimus, quam ab Æſculapij ex materna ſtirpe progenitoribus, præcipue quum ipſe non arma tractarit, ſed medicinam, pa-
5 trem vero, ut mox dicemus, habuerit incertum. Cui addi poteſt, quod Scholiaſtes Pindari, loco adducto, ex Ariſtide notat, Arſinoen, dum virgo eſſet, Coronidis nomine appellatam, quod procul dubio opinioni alteri de Coronide, Phlegyæ filia, anſam præbuit. Atque ita de Coronide Meſſenia ſentire Aſclepiadem, Poëtam antiquum, idem Scholiaſtes Græcus Pindari notat, qui ſequens ejus diſtichon recitat, in quo

©BIU Santé

quo Æſculapio etiam ſoror tribuitur *Eriopis*:

Η' ὃ' ἔτικεν Μεγάροις Ἀσληπιὸν, ἔρχαμον ἀνδρῶν,
Φοίβῳ ὑποδμηθεῖσα, εὐπλοκάμων τ' Ἐριόπιν.
Rex hominum Megaris fuit hac Æſclepius ortus,
(Dum Thœbo miſcetur amore) & pulchra Eriopis.

Mater igitur Æſculapij Arſinoë fuerit Meſſenia; de patre vero res eſt incertiſſima. Nam ſtupro illam compreſſam ſcriptores ad unum quidem omnes teſtantur: at ſtupratoris mentionem non aliter faciunt, quam quod Apollini Deo flagitium fabuloſe adſcribant. Ipſum tamen hominem vilem atque ignobilem fuiſſe, regium puellæ genus vix admittit. Itaque quod Apolline progenitus credebatur, Cyrillus lib. VI. contra Julian. ſacerdotes Apollinis id facinus patraſſe conjecit. Reineccius noſter, loco laudato, cui iterum facile adſenſero, à quopiam ex optimatibus compreſſam mavult, procurantibus tamen flagitium ſacerdotibus, Apollinemque patrem, ut culpæ auctor eſſet honeſtior, adſerentibus. Ea enim fraude olim complures, qua virgines, qua matronas illaqueatas, virginitatem & pudicitiam poſuiſſe, exemplis aliquot Reineccius ibi probat. Quibus addi poteſt quod Æſchines Epiſt. X. de Cymone refert, qui Callirhoën ſub ſpecie Scamandri fl. ſtupravit: & de Rhea à Marte compreſſa Prudentius ait, lib. I. contra Symmachum:

Crediderim generoſæ aliquem ſtirpis, ſed eundem,
Moribus infamem, compreſſa virgine per vim,
Se dixiſſe Deum, ne ſtuprum numinis ullus
Obijcere auderet turpi miſeræve puellæ.

Quam fraudem etiam Semele metuens, apud Ovidium Metam. lib. III. fab. VI. Jovi ſe ſollicitanti non immerito reponit,

——— ——— *multos*
Nomine Divorum thalamos iniiſſe pudicos.

Fieri tamen etiam potuit, ut ſtupratori forte nomen Apollinis eſſet, atque iiſdem ille ſtudijs occuparetur, quorum Apollo præſes fingebatur. Medicina enim illo ævo fere non niſi intra

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 53 sur 248

©BIU Santé

Regum Principumque palatia colebatur, ut ex Æliano hist.
10 anim lib. 11. cap. xiix. alijsque plurimis satis liquet. Cæterum Pausanias in Corinth. Æsculapium recens editum à matre expositum scribit, atque à cane custoditum, à capra enutritum: Aresthanam vero pastorem, quum & illum, & hanc, sæpius à grege abesse adverteret, atque eos quæsitum aliquando iret, puellum reperisse, à quo, quum propius accessisset, cœlestis flamma effulserit. Ut fabulæ fides constaret, non defuere, qui nomen Æsculapij à voculis Hebræis *Ez* & *Keleph*, sive *Esch* & *Keleph* derivarent: apud quos *Ez capram*, *Esch ignem*,
11 *Keleph canem* significat. Alij vero, ut est in Etymologico, & apud Eustathium, Homeri interpretem, & Tzetzen Chiliad. VII. cap. XCVII. nomen id Græcæ originis esse rati, Ἀσκληπιὸν dictum putarunt, quasi μὴ ἐῶντα τὰ σκέλη ἐσκληκέναι, *non sinentem ossa arescere, aut resiccari*; ἢ ὡς ὲ σκέλλεσθαι ἐῶντα καὶ θνήσκειν τοὺς ἀνθρώπους, non *sinentem interire homines ac mori*; aut, ut Phurnutus ait, ἀπὸ τῆς ἐσλῆσθαι, ἐ ἀναβάλλεσθαι, τὸν θάνατον γινομένων ἀποκλησιν, *ab excludendo & repellendo factum per mortem interitum*; aut ἀπὸ τῆς ἀσκελῆ φυλάσσειν τὰ νοσήματα, ut vult Suidas in Ἀσκληπιάδαι· *quod corpora integra servaret & salva*: aut denique ὡσεὶ τὸ ἀσκεῖν ἡπίως τοὺς νόσους, *quod leniter tractaret morbos*: sive, ut Mercurialis legit, lib. IV. de re Gymnast. cap. VII. ὡσεὶ τὸ ἡπίως ἀσκεῖν τοὺς νοσοῦντας; *quod leniter exerceret ægrotos*. A *leniendo* certe Lycophroni in Cassandra ἤπιος, *mitis*, Orpheo in hymn. ἡπιοδώτης, *donans mitia*, seu *mitigator* audit. Atque ad hanc originationem respexit Cælius Aurelianus, in præf. lib. 1. Tardar. passion. ubi ait: *Græci Asclepium nomen sumpsisse dixerunt, quod dura curando primus superaverit vitia*: hoc est, quod τὰ σκληρὰ vitia, seu *difficiles morbos*, primus superaverit, sive *mitigaverit*, atque ἤπια reddiderit. Male autem heic loci τὸ *nomen* Barthius Adversar. lib. XII. cap. XXV. in *numen* convertendum censet. Neque enim Cælius agit de Æsculapij adsumptione in Deorum numerum,
sed

©BIU Santé

sed denominis apud Græcos etymo: quod notasse etiam vidi Cl. Thomam Reinesium Var. Lect. lib. III. Auctor tamen Etymologici, prius *Apium*, sive ἄπιον vocatum commemorat, postquam vero *Asclen* quendam, Epidauri tyrannum, ὀφθαλμιῶντα sanasset, dictum fuisse *Æsculapium*. Galenus 12
lib. 1. meth med. cap. 1. Auctor introduct. cap. 1. & communiter plerique, sub Apolline patre Medicinam didicisse volunt. At Cyrillus ab Ægyptijs sacerdotibus edoctum adserit. Homerus Iliad. δ. Pindarus Nemeor. Ode. III. alijque, Chironem habuisse præceprorem notant. Et Pindarus quidem ait, ab Apolline traditum Chironi, διδάξαι πολυπάμονας ἀνθρώποις ἰᾶσθαι νόσους, *ut* ipsum *doceret multinocuos mortaltum sanare morbos*. Ex qua opinionum diversitate hoc iterum colligo cum Reineccio, & proxime veritatem esse censeo, Æsculapium litteris primum, & Medicinæ rudimentis, apud Apollinis patris, ut credebatur, sacerdotes imbutum; Chironem Centaurum deinde adjisse, præcipuorum Græciæ Principum, Herculis, Iasonis, Achillis, in Medicina præceptorem, eiusque ductu uberiorem artis cognitionem indeptum, in Aegyptum trajecisse, omnium artium primævam matrem, atque Api operam dedisse, quem inter sacerdotes illic principem, & naturalis Philosophiæ maxime peritum fuisse, Cyrillus commemorat. Ex quo factum porro, ut in Græciam reversus, artemque passim exercens, pro *Aegyptio*, aut *Memphitano*, ut Cyrillus ipsum vocat, haberetur: quod Scaligero patri etiam contra Pausaniam placuisse video, Comm. in lib. II. Arist. de plantis. Argonauticæ insuper expeditioni interfuisse, & cum Græcorum primoribus, qui simul omnes, ut alibi ostendo, medicinam callebant, ad rapiendum *vellus aureum* profectum, auctor est ex Apollonio Rhodio Clemens Alexandrinus, Strom. lib. 1. Aureum enim vellus nihil aliud fuisse, si Poëtarum nugæ seponantur, quam librum in membrana scriptum, quo auri faciundi ars contineretur, Suidas (in δέρας τὸ χρυσόμαλλον) putavit, & rationibus non nullius

©BIU Santé

lius momenti conatus est stabilire Sennertus noster, lib. de
13 cons. & diss. Chym. cum Aristot. & Gal. cap. III. Cæterum Æsculapius *natura*, ut inquit Diod. Siculus lib. IV. cap. IX. *ingenioque præclarus, medicinæ opera impensa, plurima hominum valitudini utilia invenit.* Adeoque peritia artis excelluit, ut quamplurimos sanitatem desperantes liberarit à morbo, ac ea caussa creditus sit defunctorum nonnullis vitam restituisse.
14 Hinc Martiali lib IX. Ep. XIIX. salutatur,

Latonæ venerandi nepos; qui mitibus herbis
Parcarum exoret pensa, brevesque colos.

Et à Q. Sereno in procem. præcept. Medic.

—— potens artis, reduces qui tradere vitas
Norit, & in cœlum manes revocare sepultos.

Pindarus in Pyth. Ode III. vocat,

Τέκνον Ἀνωδωίας
ἄμερον γυιαρχέϑ' Ἀσκλαπιὸν
ἀρῶα, παντοδαπῶν ἀλεκτῆρα νόσων·
Filium suavem Incolumitatis
membri-vegetæ, Æsculapium
heroëm, omnigenum averruncum morborum.

Homerus in Hymnis

Χάρμα μέγ' ἀνθρώποισι, κακῶν ϑελκτῆρ' ὀδυνάων·
Delicias hominum, depulsoremque malorum.

Ovidio lib. XV. Metam. fab. L. & LI. *Deus optifer* est, & *salutifer*; Statio Papinio lib. III. Silvar. Carm. IV. *Deus mitis, & maximus ægris auxiliator, & festinantia sistens fata.* Hippocrates Epist ad Philopoem. Θεὸν ϑεραπεύοντα vocarat: Aristophanes in Pluto, act. III. sc. I. παιῶνα Δήλιον, ἐ μέγα βροτοῖσι φέγγος. *Medicum benignum, & magnum mortalibus lumen.* Apud Arnobium lib. I. & VII. *custos* audit *sanitatis & præses; salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor & extinctor.* Inter eos vero, quos graviter decumbentes restituit, & à mortuis resuscitare creditus est, Plinius lib. XXIX. cap. I. Tyndaridem

©BIU Santé

ridem recenſet: Pauſanias, in Corinthiacis, Hippolytum, Theſei filium, quem

——— ad ſidera rurſus
Ætheria, & ſuperas cœli veniſſe ſub auras,
Pæoniÿs revocatum herbis,

Virgilius quoque meminit, Æn. lib. VII. *Senem* quendam *pecunioſum* excitaſſe, Plato auctor eſt, lib. III. de Rep. De *Androgeone*, Minois filio (quem Hyginus tamen, in Ophiucho, *Glaucum* vocat) Propertius lib. II. Eleg. I. ait:

Et Deus exſtinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriÿs Androgeona focis.

Orpheus *Hymenæum*, Steſichorus *Capaneum* & *Lycurgum*, Epiphanius *Eurycleam*, alii alios reſuſcitatos meminere. Ob maximam vero illam in medendo felicitatem & experientiam, à Triſtmegiſto apud Auguſtinum lib. IIX. de Civit. Dei cap. XXVI. *primus Medicinæ inventor* audit: & cui, ex oraculi teſtimonio apud Porphyrium lib. de Philoſ. reſpons.

——— tota medendi
Ars, cui ſeſe omnis pariter ſapientia debet.

Suidas *rei Medicæ auctæ* encomio celebrat; Plutarchus Sympos. lib IIX. quæſt. XIV. ἰατρῶν ἡγεμόνα vocat; Lucianus in Tragopodagra πολυμαθῆ: Tertullianus Apolog. cap XXIII. *medicinarum demonſtratorem*; Arnobius lib. I. *medicaminum repertorem*. Corn. Celſus in procem. lib. I. ait, ipſum *rudem & vulgarem ſcientiam paullo ſubtilius excoluiſſe, atque ideo in Deorum numerum receptum*: unde, ut Triſmegiſti verbis ex Auguſtino utar, *omnia hominibus infirmis adjumenta præſtet numine nunc ſuo, quæ ante ſolebat medicinæ arte præbere*. Uxorem habuit *Eplonem*, Herculis filiam, 15
ex qua filios ſuſcepit duos, *Podalirium* & *Machaonem*, vel ex Homero ſatis notos; filias quinque, aut ſex potius, *Hygeian*, *Panaceian*, *Iaſo*, *Aceſo*, *Aeglen* & *Romen*, de quibus mox quædam notamus. Fulmine ictum fere omnes notant, & quidem, ut Plato 16
voluit, loco adducto, quod divitem pecunioſum auro illectus

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 57 sur 248

©BIU Santé

ex lethali morbo reſtituerit. Nec aliter ſentit Pindarus in Pythiis, Ode III. At Plinius lib. XXIX. cap. I. & Virgilius lib. VII. Æn. ob mortuos reſuſcitatos id contigiſſe ajunt:

Quod pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbrâ
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phæbigenam ad Stygias detruſerit undas.

Cyrillus ictum ſcribit, quod lucri cupidus fuerit, & conſilijs turpibus obnoxius, omnem circumierit orbis regionem, ſtudiumque omnibus venale proſtituerit, ac tandem etiam Deum ſe nominarit, & mortuos reſuſcitari abs ſe poſſe credi voluerit. Ejuſdem fuere ſententiæ Euſebius lib. III. de præp. Evang. Tertullianus Apolog. cap. XIII. Septimius lib. XII. contra gentes: & Arnobius contra eaſdem, lib. IV. Homerus è contra, Iliad. δ. & κ. ἰητῆρα vocat ἀμύμονα, *medicam irreprehenſibilem*. Mihi ſuſpectum etiam illud fit de fulminis ictu, ut facile credam rem totam abijs effictam, qui Æſculapium Deum credi quam maxime cupiebant. Fulmine enim icta, olim ſacra erant omnia, ipſique fulguriti, DI cenſebanrur. Docet id Artemidorus Daldianus Oneirocrit. lib. II. cap. IIX. 17 ἀδὲις γὰρ κεραυνωθεὶς ἄτιμός ἐστιν. ὅθεν γε καὶ ὡς Θεὸς τιμᾶται. *Nemo enim fulguritus infamis eſt: itaque ut Deus colitur.* Ita Zoroaſtrum, fulmine ictum, vulgus tanquam amicum Dei, fulminis ad cœlum vehiculo ſublevatum adoravit, teſte Clemente Romano in libris Anagnoſeων. Semelen a Naxiis propterea ante Bacchi ortum fulmine ictum credi, ut non ex mortali, ſed duobus Diis prognatus, ſtatim à natali immortalis naturæ conſors fieret, auctor eſt Diodorus Siculus lib. V. cap. III. & de Æſculapio Auctor Commentarii in Iusjurandum Hippocratis, Galeno adſcripti, cuius ab initio meminimus, *vulgatum* ait *eſſe, quod ſublatus ſit ad Angelos in columna ignea: quodque partem ejus mortalem Deus fulmine icerit, partem vero mortis non capacem, ad ſe vocarit, animamque in cœlum elevarit.* Nec alio reſpiciunt Minucius

©BIU Santé

cius Felix in Octavio, & Cyprianus de Idolor. vanit. quando *Aesculapium, ut in Deum surgeret, fulminatum* ajunt. Cæterum di- 18
vinis honoribus post Trojanum demũ bellum coli cœpisse, ex eo colligit Theodoretus, serm. IIX. quod Hom. Iliad. 5. curatorem vulnerum Martis, nõ Aesculapium faciat, sed Pœonem. At triginta octo annis, postquam apud Argivos regnasset Hercules, divinitatis honore cultum, ex Apollodori Chronologia scribit Clemens Alexandr. Stromat. lib. II. Ex quo vero in 19
Deorum numerum receptus, sive ut de Claudio in Apocolocynth. ait Seneca, *Deus esse jussus est*, templa ipsi plurima exstrui cœpere, quæ Suidas in Ἀσκλήπιον, Plutarchus quæst. Rom. LXXXVI. Pausanias in Atticis, & passim alibi, Ἀσκληπία, Ἀσκληπεῖα, Ἀσληπίεια, & Ἀσκληπιεῖα vocant; qua formatione Græci recentiores dixere Ἀποστολεῖον templũ Apostolo cuidam sacrum, ut est in Menologio Græcorum: & Μιχαήλιον apud Niceph. Callistum lib. VII. cap. ult. Divi Michaelis Archangeli templum. Victruvius *Aesculapium* latine dixit, in præfat. lib. VII. quo sensu Latinis *Minervium* est, & *Dianium*, pro Minervæ Dianæve templis. Quanquam Ἀσκλήπεια etiam dicerentur certamina & festa in Æsculapii honorem instituta, ut est apud Pollucem Onomast. lib. I. sect. I. cap. XXXII. Talia fuerunt illa, quorum meminit Æschines in Orat. κατὰ κλησιφῶντος, & illa quæ celebrabantur Smyrnæ & Epidauri, quæ aliquando Septimius Publius citharœdus vicit; ut patet ex Marmore, quod tertium est inter Arondeliana, quæ Cl. Io. Seldenus nuper publicavit. Inter templa vero Æsculapii, primum nobi- 20
lissimumq; fuit *Epidaurium*, ad Epidaurum Peloponnesi oppidum, à quo distabat V. M. passuum, *donis dives, quæ ægri remediorum salutarium mercedem sacraverant Deo*, ut de ipso loquitur Livius lib XLV. Alterum ab hoc fuit *Coum*, in Co insula, Hippocratis patria, ἔνδοξον, καὶ πολλῶν ἀναθημάτων μεστὸν, *clarum, & multis donariis refertũ*. Celebratur & *Argivum*, quod Argis Sphyrus, Machaonis filius, Æsculapii nepos, dedicavit. Aliud Sphyri

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 59 sur 248

©BIU Santé

frater, Alexanor, in Sicyoniam profectus, in Titane monte condidit. Nobile etiam ac dives *Siracusanum* fuit in Sicilia, Dionysii Tyranni direptionibus magis celebratum. Inter alia donaria in eo mensa erat aurea, quam cum auferre decrevisset Dionysius, morisque esset id temporis in convivijs sumpto cibo, *Boni Dæmonis*, sive *Genij* circumbibere *poculum*, & deinde mensas tollere; poculum Boni Dæmonis Æsculapio præbibit, & continuo auferri mensam iussit, referente Athenæo lib. xv. Memoratur præterea *Pergamenum*, in Pergamo, Asiæ opido, Galeni patria, quo religionem Archias, Aristhæchmi filius, convulsione membrorum sanatus, traduxit; *Ægæense*, quod temporibus Constantini M. funditus eversum, reditu omni Christianis adsignato, Cassiodorus refert in Hist. Tripart. & Historia Miscella lib. VII. *Carthaginense*, quod Appianus de bello Pun. ait, fuisse μάλιστα τῶν ἄλλων ἐμφανές τε & πλούσιον, *præcæterà nobile & dives*. Habuit vero & alia multa, de quibus videri, præter Pausaniam, possunt Strabo lib. IIX. Polybius Hist. lib. I. & in Eclogis lib. X. Plutarchus in Pompeio. Philostratus in Apollonio, Lucianus in Icaro Menippo, &c. De Ægæensi, Pergameno & Epidaurio etiam Q. Serenus meminit, quando Æsculapium compellans, ait;

Qui colis Aegeas, qui Pergama, quique Epidaurum:

statimque subdit;

Qui quondam, placidi tectus sub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque inclyta tecta petisti.

21 Nam Romani serius Aesculapium colere cæperunt. Quum enim gravi pestilentia urbs laboraret, Q. Fabio Gurgite, & D. Iunio Bruto Scæva Coss. Anno V. C. CCCC LXI. & S. P. Q. R. juberetur, consulto oraculo, librisque Sibyllinis, pesti expiandæ Æsculapium Epidauro accersere; triremem cum legatis, quorum princeps Q. Ogulnius, eo miserunt. Epidauriis, quod Deum suum inviti dimitterent, cunctantibus, draconem ferunt prodiisse, sive anguem ingentem, perq; mediam

©BIU Santé

mediam urbem ad Romanorum triremem perrexiſſe, atque in Ogulnii tabernaculo in gyrum circumvolutum ſe compoſuiſſe. Iſtum anguem Romani Æſculapium eſſe rati, cui dracones ac ſerpentes ſacros ſciebant, magna cum veneratione Romam advexerumt. Iamque triremis in Tiberi erat, prope inſulam, quum anguis é navi in illam proſiluit,

—— *& finem, ſpecie cæleſte reſumpta,*
Luctibus impoſuit, venitque ſalutifer Vrbi;

ut Ovidii utar verbis, Metam. lib. xv. fab. LI. Id Romani conſpicati, templum in inſula novo Deo dedicarunt (hodie S. Johannis Colevitæ vocatur) ubi ſub ſerpentis deinceps imagine coleretur. Meminere Livius lib. x. Cicero lib. III. de Nat. Deor. Florus Epit. Livii lib. XI. Valer. Maximus lib. I. cap. IIX. Oroſius lib. III. cap. XXII. Aurel. Victor de Viris illuſtr. cap. XXIII. plurimique alii. In Æſculapii hoc templo 22
Romæ quemadmodum & in cæteris, incubare ſolebant ægroti, reſponſum ſuper valitudine, & remedium, ſive per ſomnium, ſive vigilantes à Deo accepturi, quam *incubationem* Latini, Græci dicebant ἐγκοίμησιν. In eodem remedia monſtrata, aut ſomniata, in tabulis notare, gratias publice agere, & vota ſolvere ſolebant, de quibus omnibus ac ſingulis alibi plenius egimus. Pingebatur autem *Æſculapius* in delubris ac templis *barbatus*. 23
Hinc Luciano, in Iove Tragœdo, βαθυπώγων dicitur, καὶ διθύρα©, *ingenti promiſſaque barba præditus*, & in Carmine Libero Epigr XXXVI. eſt.

Intonſa ſemper Æſculapio barba.

Hæc quum Epidaurio Æſculapio eſſet aurea magni ponderis, & Philoſophicæ denſitatis, Dionyſius Tyrannus, cuius paullo ante memini, auferri eam juſſit; quod adfirmaret, non convenire filium barbatum conſpici, cujus Apollo pater eſſet imberbis, ut eſt apud Ciceronem lib. III. de Nat. Deor. Val. Maximum lib. I. cap. I. Lactantium lib. II. cap. IV. & Arnobium. lib. VI. Barbæ autem illa prolixitate, ſunt qui ve-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 61 sur 248

©BIU Santé

teres innuiſſe velint, requiri in Medico multarum rerum uſum & experientiam. Πολλῶν γὰρ ἔμπειρον δεῖ εἶναι ἰατρὸν, *multarum rerum uſum habere oportet*, dicebat Hippocrates lib. de artic. ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, *experientia autem difficilis* lib. 1. aph. 1. ideoque non niſi longo tempore adquiri videtur, nec facile niſi in ſenem aut provectioris ætatis hominem cadere: qualem Apuleius Metam. lib. v. vocat *ſenectutis prolixæ beneficio multis experimentis inſtructum*. Itaque huc reſpiciunt Poëtæ quando Ducibus ſuis Medicos adiungunt ſenes; ut quando Æneæ apud Virgilium Æn. xii. præſto eſt *longævus Iapis*, Hannibali
24 apud Silium Italicum lib. v. *Synalus ſenior*. Phliaſii tamen, ut Pauſanias auctor eſt in Corinth. Æſculapium *imberbem* coluere: eodem forte reſpicientes, quo illi, qui Apollinem im-
25 berbem venerabantur, ut ſupra diximus. Præter barbam Aeſculapio adpingebatur *baculus nodoſus*. Ovidius lib. xv. Metam. fab. 1. *agreſtem* vocat, cui draco ſive ſerpens circumvolvebatur. Apud Epidaurios vero, ut Pauſanias refert, ſcipionem manu tenebat altera, altera caput draconis premens. Meminit utriuſque, tum baculi, tum ſerpentis Apuleius Metam. lib. 1. *Diceres*, inquit, *Deæ baculo, quod ramulis ſemiamputatis nodoſum gerit, ſerpentem lubricis amplexibus inhærere*. Baculo nodoſo Feſtus lib.
26 ix. artis difficultatem notari auctor eſt. Anguem vero, ſive ſerpentem, aut draconem, alii alias ob cauſſas additum cenſent. Plinius lib. xxix. cap iv. id factum credit, quod multa ſerpenti remedia inſint. Feſtus lib. iv. dracones Deo Medico ſacros voluit, quod vigilantiſſimi ac perſpicaciſſimi generis animalia exiſtimentur; vigilantia autem maxime Medicum deceat. Ἀπὸ τῦ δέρκεσθαι enim dicti ſunt dracones, hoc eſt, *à videndi acuitate*: convenitque Medicos vigilantiſſimos & oculatiſſimos eſſe, ut mentis acie penitrare in morbis poſſint, & quaſi oculis uſurpare

——— ——— τά τε ἐόντα,
Οἷά τε πρόσθεν ἔλλω, ὅσα τ' ἔσσεται ὕστερον αὖθις,

ut

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 62 sur 248

©BIU Santé

ut loquitur Orpheus, ſive Onomacritus, de Proteo, in Hymno, aut ut Empedocles apud Ariſtotelem lib. 11. Metaph. cap. 1v.

—— Πάνθ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἐσθ', ὅσα τ' ἔσαι ὀπίσω:

Quæ fuerunt, quæ ſunt, & quæ ventura trahuntur:

qua de re etiam in Apolline diximus. Alia adhuc ſententia eſt Macrobii, Saturn. lib. 1. cap. xx. & Scholiaſtis Ariſtoph. in Pluto, qui dracones ſimulachris Æſculapii & Salutis additos cenſuerunt, quod uterque Deus præſtare crederetur, ut hominum corpora infirmitatis pelle depoſita in priſtinum vigorem revireſcerent, non aliter ac draconum ſolent, ſingulis annis ſenectutis pelle exuta, quam nunc *ſenium*, nunc *ſenectutem* appellat Plinius, Græci *leberida*. Apud Epidaurios teſte 27
Pauſania in Corinth. ſimulachro Æſculapii etiam *canis ad pedes decumbens* adpingebatur, ſive itidem ad vigilantiam denotandam, huic animali peculiarem; ſive quod lingua canum ad ulcera ſananda plurimum valeat, ut nuper voluit doctiſs. M. Zuerius Boxhornius, Animadvers. ad Quæſt. Rom. Plutarchi; ſive quia infans à cane enutritus putabatur; quæ forte cauſ- 28
ſa etiam fuit, quur Pauſanias *capris* ipſi ſacra fieri voluerit. At Servius Comm. ad lib. 11. Georg. Virgilii, id ideo factum putavit, quod capra, Plinii teſtimonio, lib 1 1 x. cap 1. nunquam ſine febri eſſe feratur. Phocenſes tamen prope Tithoream quibuſvis hoſtiis, præterquam capellis Æſculapio facere conſueviſſe, teſtatur Pauſanias in Phocicis. Alexander ab 29
Alexandro Genial. dier. lib. 1 1 1. cap. x 1 1. incertum ex quo auctore, refert in ſacrificiis Aeſculapio *gallinas* etiam oblatas, eaſque *non luteis roſtris aut pedibus*, ut quæ Plinio lib. x cap. 1 v 1. minus puræ videntur, *ſed nigris digitiſque imparibus*. Et gallinas quidem ipſi immolatas putat Ioan. Pierius Valerianus, Hieroglyph. lib. x x 1 v. *quod ſalubritatis illæ ſint indicium; carnemque habeant leviſſimæ digeſtionis, ac proinde languentibus commodam:* ſive, ut Henricus Smetius ait, Miſcellan. lib. 1. in princ.

— in-

©BIU Santé

—— infirmo hæc volucris quia cocta cerebro
Conferat, & lapſas renovent ea prandia vires.

Nigras vero ad hoc ſeligi ſolitas, ideo crediderim, quod nigri coloris animantia ſaniora & puriora judicarent. Hanc enim ob cauſſam Ariſtoteles lib. III. hiſt. an. cap. XXI. fuſcarum mulierum, Rhaſes lib. ult. Contin. tract. II. cap CLXXII. & Meſue Tract. de ſimplic. cap. IX. caprarum nigrarum, Aëtius vero tetrab. I. ſerm. II. cap. LXXXIIX. univerſim brutorum animalium nigrorum lac quovis alio ſalubrius cenſuerunt. Digitos denique in iis impares maluiſſe putarem, quod *numero Deus impare gaudeat*, ut vult Virgilius in pharmaceutria: ſive *ea ſuperſtitione*, ut inquit Cenſorinus lib. de die natali, cap. de annis Rom. *qua impar numerus, plenus & magis fauſtus habebatur*: ſive, quod Plutarcho, in Numa, atteſtante, ex Pythagoræorum dogmate, DIs ſuperis imparia, inferis paria jubebantur offerri.

30 Potiſſimum tamen *gallus* immolari Aeſculapio ſolebat, ſive ob huius etiam animalis vigilantiam; ſive quod divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, hoc eſt, vitæ lumen ſe debere veteres teſtarentur, quod Cælio Rhodiginio placet, Antiq Lect. lib. XVI. cap. XII. Gallos vero gallinaſque plurimas Æſculapio immolatas vel illud docet, quod Pierius Valerianus adſirmat, adhuc ſuo tempore magnam copiam pedum gallinaceorum Romæ fuiſſe effoſſam, juxta cippum, in quo Aeſculapij ſtatua ſteterat, loco qui hodie Vivarium, appellatur. Ex Æliano demum Hiſtor. var. lib. V cap. XVII. colligo *paſſeres* etiam Aeſculapio ſacrari ſolitos. *Athenienſes* enim *Atarben*, ut ait, *quod Æſculapio ſacrum paſſerem*

31 *uſque ad necem verberaſſet*, *morti adiudicarunt*. Viſitur Romæ hodieque in ædibus Farneſianis Aeſculapij ſtatua è marmore. Ei pectus nudum, corpus reliquum toga tectum, barba denſa & fruticoſa, baculus in ſiniſtra nodoſus, cui ima parte ſerpens flexuoſe implicatur. Simile fere ſimulachrum fuit, quod idem habuit in Titane monte, cuius etiam ut Pauſanias in

Co-

©BIU Santé

Corinth. refert, ſola ſe facies, manus atque imi pedes oſtendebant: partes cæteræ lanea tunica alba & pallio velabantur. De ſerpente, baculo & barba, quid ſibi velint, liquet. Deum 32
vero *pectore nudum* effictum arbitror, ut animi puritatem & morum ſanctimoniam Medico colendam notaretur, corpus vero toga amictum, ut, caſtitatis idem admoneretur, & σωφροσύνης, veſtituſque decori, qui, ut Hippocrates lib. de Elegant. monet, *non tam ad ſuperfluam curioſitatem, quam optimam exiſtimationem, & animi moderationem ſit comparatus; neque plus iuſto ſumptuoſus, ut arrogantiam præ ſe ferat, neque nimium vilis, aut ſordidus*, ut monet Galenus VI. Epid. ſect. IV. comm. IX. Quali veſtitu Medicum uti debere, idem etiam Hippocrates, lib. de Medico, præceperat. Ζητεῖτα γὰρ, inquit, ὁ νοσέων ἀ καλλωπισμὸν, ἀλλὰ τὸ ξυμφέρον· *quærit enim æger, non quod viſui arridet, ſed quod prodeſt.* Peculiarem autem olim *habitum* 33
fuiſſe *Medicorum*, multa me docent. Albricus Philoſophus lib. de Deor. imagin. ubi de Aeſculapio agit, *Eius imago*, inquit, *erat homo quidam cum barba valde prolixa, indutus habitu Medici.* Eum Medici habitum Virgilius Aen. lib XII. & Statius Papinius Silvar. lib. I. vocant *Pæonium*, à Pœone Deorum Medico. Fuit autem pallium, quale in ſtatua Aeſculapii ex- 34
preſſimus. Quod ſi Clementi Alexandrino credimus, Medici eam ob cauſſam Aegyptiis dicti fuerunt παραφόροι, ſeu *palliolati*, aut *pallium geſtantes*, Stromat. lib. VI. ubi etiam pallium moroſius ordinatum Aeſculapio tribuit, quod & Tertullianus facit lib. de pallio, cap. IV. Medicinam enim facturi, aut opus aliquod aggreſſuri, pallium retorquentes, ſe ſuccingebant, ne cui id ipſis eſſet impedimento. Vnde Virgilius, loco quem dixi, Iapidem Aeneam curaturum, introducit *retorto ſuccinctum amictu*, & quidem, ut addit, *Pæonium in morem*, id eſt, *medicum.* Statius etiam Papinius de Apolline & Aeſculapio, Rutilium Gallum ſanaturis, ait:

—— *ritu ſe cingit uterque Pæonio.*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 65 sur 248

©BIU Santé

Ovidius lib. VII. Metam. fab. II. de Medea, medicinæ perita, & medicamina collectura, quibus Aesonem reiuvenescere faceret: *Egreditur tectis vestes induta recinctas.*

De Synalo, Annibalis Medico, Silius Italicus lib. V.

—— *intortos de more accinctus amictus.*

35 In Nummis antiquis, apud Angelum Abbatium tract. de viperis, Aesculapius non palliatus, tantum visitur; sed & *pileatus* & *coronatus*. Et Scholiastes quidem Aristophanis in Pluto, auctor est Aesculapium fere semper olim coronatum depingi solitum, quod debellator esset, victorque morborum. Coronam enim victoriæ indicinam esse & præmium, præsertim si sit è lauru. Quanquam Io. Pierius Valerianus Hieroglyph. lib. I. sub fin. Aesculapij caput laurea redimitum putet eam ob caussam, quod multorum lauri arbor sit remediorum. Pileus insigne libertatis est, tum privatæ, tum publicæ. Privatæ, ut quando servi olim libertate donati, dicebantur *ad pileum vocari*, & pileati sequebantur patronos. Publicæ, ut quando Cassius, Brutus, & coniurati, Cæsare interfecto pileum lanceæ imposuerunt, auctore Appiano lib. II. bellor. civil. aut mortuo Nerone plebs universa pileis caput tecta exultavit, ut est apud Aur. Victorem in Nerone. Regum etiam Aegypti & Aethiopiæ gestamen fuisse pileum notat Diodorus Siculus lib. IV. Et Lucianus in Toxari, πιλοφορικὸς vocat πμιωπέρες, & *honoratiores*. Vt hinc colligas per pileum artis medicinæ liberalitatem & eminentiam denotari. Sunt tamen qui Aesculapium ideo pileatum pingi arbitrentur, ut admoneremur, maxime eam partem corporis tegendam muniendamque, in qua mentis quasi sit sedes, animique & ra-

36 tionis habitaculum. Verum ut de Aesculapio finiamus, extat vetustus atque elegans; sive Orphei, sive Onomacriti, quod vult Clemens Alex. lib. I. Strom. & Philoponus Comm. ad lib. I. Arist. de an. aut alias antiqui auctoris, in Aesculapium hymnus, cuius partem, quia meretur, non pigrabor adscribere.

Ιητῆρ;

©BIU Santé

Ιητὴρ πάντων, Ἀσκληπιὲ, λεπτόπε Παιὰν,
Θέλγων ἀνθρώπων πολυαλγέα πήματα νέζων.
Ηπόδωρε, κραταιὲ, μόλοις κατάγων ὑγίειαν.
Καὶ πάντων νέσων χαλεπὰς κῆρας θανάτοιο.
Αὐξιθαλὴς, κόρε, ἀπαλεξίκακε, ὀλβιόμοιρε,
Φοίβε Ἀπόλλωνος κεδνὸν θάλος ἀγλαότιμον.
Ἐχθρὲ νόσων, Υγίειαν ἔχων σύλεκτρον ἀμεμφῆ.
Ἔλθε μάκαρ σωτὴρ, βιοτῆς τέλος ἐσθλὸν ὀπάζων.

hoc eſt, ut ad verbum Latine reddidi:

Qui ſanas omnes, Aſclepi, regie Pæan,
Morborumque graves lenis mortalibus æſtus,
Mitia dans, fortis venias, promuſque ſalutis.
Vim validam ſiſtens morborum & fata retardans.
Florens atque vigens, Deus averrunce, beate.
Eximium germen Phoebi genitoris, acerbus
Morbi hoſtis, Divam thalamo complexus Hygeian.
Soſpes ades ſancte, & vitæ da fata ſecunda.

Aut ſi mavis legere illuſtriſſimi Ioſ. Scaligeri interpretationem, verſibus antiquis.

Cunctorum, Aſclepi, Iuturne, ſalutifer, alme,
Morborum omnigenum mulcens contagia iniqua,
Mulciber excellens, ades huc comitatu' ſalute,
Mortiferæ cohibens incendia peſtilitatis;
Veſticipor, Verrunce, rei largitor opime,
Februi Apollinerisve viridans & honora propago,
Morbi perduellis, conjuxque Salutis amoenæ;
Huc ades, ôſoſpes, ævi dans proſpera fata.

Quærat autem hic aliquis, quur Hippocrates, poſt Apollinem non Pœonis, 37

Πάντων ἰατρῷ τ' ἐν ἑρκίῳ θεῶν,

ut Lucianus vocat in Tragopodagra; ſed Aeſculapij faciat mentionem? *An quod Apolline profecta Medicina Pœoni Deorum, Æſculapio hominum cauſſa concredita fuit? ut proinde non tam Pœonis,*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 67 sur 248

©BIU Santé

quam Aesculapii hic ratio fuerit habenda? quod putat Theod. Zuingerus in Tabulis ad hunc locum.

CAPVT SEXTUM.

Καὶ Υγείαν, Ϛ Πανάκειαν.]

SUMMARIA.

1. *Nominis Hygeiæ significatio triplex.* 2. *Sanitas apud Romanos.* 3. *in* ὅρκῳ *Hippocratis legendum* ὑγίεια. 4. *Æsculapii filii.* 5. *filiæ.* 6. *inter has* Ῥώμη, *seu Valentia.* 7. *Filiæ unde appellatæ.* 8. *omnes Medicinam doctæ, & professæ.* 9. *Æsculapius* εὔπαις. 10. *Fœminæ ad Medicinam admissæ.* 11. *Hygeiæ cultus & templa.* 12. *Salus apud Romanos.* 13. *Natalis Salutis, Porta Salutaris, Vicus Salutaris.* 14. *Hygeia cum Patre culta.* 15. *etiam sola.* 16. Μεταίνιππον Υγείας. 17. *Salutis augurium.* 18. *Simulachrum Hygeiæ.* 19. *& habitus matronalis.* 20. *In eam hymnus Ariphronis.* 21. *& Orphei.* 22. *Meditrina & Meditrinalia.* 23. *Hygeia cum Minerva culta.* 24. *Minervæ cognomina.* 25. *Minerva Medica.* 26. *Minervæ in morbis supplicatum.* 27. *Minervæ draco sacer.* 28. *Guidius Pancirollus notatus.* 29. *à M. Zuerio Boxhornio dissensum.* 30. *Hygeia Orpheo Æsculapii uxor.* 31. *Panacea.* 32. *Nepenthes Helenæ.* 33. *Panacea herba.* 34. *Panacea Paracelsistarum.* 35. *Panaceæ cultus.* 36. *Quur duas tantum in jurejurando nominarit filias Æsculapii Hippocrates?* 37. *Quur filios ejusdem præterierit?*

1 Υγείας, sive Υγιείας vocabulum in triplici significatu usurpatum invenio. Communiter quidem pro *constitutione* sumitur *corporis viventis, ejusque partium secundum naturam, quæ actionibus edendis sufficiat*, ut Galeno definitur lib. de diff. morb. cap. 11. Deinde, ut Athenæus ait, Dipnos. lib. 111. Υγιεια καλεῖται, ἡ διδομένη ἐν ταῖς θυσίαις μάζα. *Hygieiam appellant mazam, quæ in sacris dabatur degustanda:* sive ut Hesychius habet, & Auctor Etymologici; Υγίεια sunt ἄλφιτα οἶνῳ καὶ

©BIU Santé

ἐλαίῳ πεφυραμμένα. καὶ πᾶν τὸ ἐκ θεοῦ φερόμενον, εἴτε μύρον, εἴτε στέμμα; *farinæ vino & oleo subactæ: & quicquid è Deorum fanis asportatur, sive unguentum, sive oleæ ramus.* Moris enim erat apud veteres, ut qui Deorum templa adirent, domum aliquid referrent bonæ scævæ gratia, sive libi frustulum, sive unguenti quidpiam, aut frondem virentem; sive etiam libi aliquid degustarent; omne id valetudini conducere persuasi. Atque in sacris etiam Pop. Rom. *Sanitas* aliquando dabatur, 2
sed præmij loco: rituque alius erat, de quo adi Plinium lib. XXVII. cap VII. Denique ὑγεία sive ὑγίεια filia est Æsculapij, unum olim ex tutelaribus Medicinæ numen, qua notatione id vocabulum ab Hippocrate hoc loco sumitur. Habent autem exemplaria quædam ὑγείαν, alia ὑγείῃ, Ego cum Obso- 3
pœo præfat. opusc. Hipp. legendum censuerim ὑγίῃ. Id enim Ionica postulat dialectus, qua Hippocrates usus. Quanquam non nesciam Ælianum putare, Histor. Var. lib. IV. cap. XX. Hippocratem Dorice loquutum, in gratiam vero Democriti Ionica lingua suos conscripsisse libros. Sed nec aliter scriptum invenio apud Pausaniam in Atticis. τῆς Διοτρεφοῦς πλησίον θεῶν ἄγαλμά ἐστιν, ὑγίας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν, καὶ Ἀθηνᾶς; *Proxime ad Diotrephus statuam posita sunt Deorum signa, Hygiæ, quam Æsculapij filiam dicunt, & Minervæ.* Neque aliter habet inscriptio vetus, quam Albæ Iuliæ exstare ex Sigleio notat Ianus Gruterus in Inscript.

ΚΥΡΙΩ. ΑΣΚΛΗ
ΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙΣ. ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙΣ
ΜΑΡ. ΜΕΜΜ. ΑΟΝ
ΓΟΣ. ΒΕΝΕΦ. ΕΥΧΗΣ
ΧΑΡΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Diximus autem cap. superiori, uxorem Æsculapio fuisse *Epionen*, Herculis filiam. Ex ea igitur filios suscepit duos, *Machaonem* 4

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 69 sur 248

©BIU Santé

& *Podalirium*, qui Agamemnonem ad Troiam ſequuti, claſſem xxxii. navium eo adduxerunt, ut Homerus auctor eſt, Iliad. β. ſimul etiam arte medica commilitonibus ſuis opem ferentes, quod ex eodem Homero non uno in loco videre eſt, & Corn. Celſus. lib. 1. confirmat. A bello vero Troiano Machaonis poſteri regnum Pherenſe tenuerunt, & Meſſenes partem: at Podalirius in Cariam profectus, *Cyrna* Damathi Regis filia in uxorem ducta, inque Cariæ regnum adſcitus, idem in poſteros ſuos tranſmiſit. Filias Aeſculapius, ut communiter
5 numerantur, quinque habuit; *Aceſo* & *Aeglen*, ſolo nomine ex Suida notas; *Iaſo* Plinio memoratam lib. xxxv. cap. xi (neque enim *Iaſon* ibi intelligendus, quod putavit doctiſſimus Dalechampius in Annot) atque ara, Pauſaniæ in Attic. teſtimonio, apud Oropios honoratam; *Hygetamque* & *Panaceian*
6 vel præſenti Hippocratis ὄρκῳ celebratas. Quibus addo Ῥώμην, quæ Latinis eſt *Valentia*, à qua Romæ Urbi nomen impoſitum voluit *Marinus*, ſive *Martianus*, Lupercaliorum vetus Poëta, cujus verſus apud Servium ad Eclog. 1. Virg. leguntur, quos ita, Varro noſtri ſeculi, Salmaſius in Exercit. Plin. ad Solin. in pr. digerendos & concipiendos docet:

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Acquiſivit * * * *
Sed Diva flava & candida,
Roma Aeſculapi filia,
Novum nomen Latio facit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipſo omnes Romam vocant.

7 Filiabus autem omnibus, quod Ariſtophanis Scholiaſtes in Pluto notat, ab artis officijs vel emolumentis Pater nomen indidit. Hygeia enim *Salus* eſt Latinis, ſive *Sanitas*: Aceſo & Iaſo dixeris *ſanatrices*; illa enim ab ἀκέσαι, hæc ab ἰᾶσθαι dicta eſt:

©BIU Santé

est: Aegle *splendorem* notat *corporis*, bonamque habitudinem ex sanitate profectam: Panaceia omnium morborum sanationem promittit. Rome ipsa, sive Valentia, *membrorum robur & artuum*, validasque vires designat. Theod. tamen Zuingerus, Tabulis in ὅρκον, Aeglen non ad habitudinem corporis bonam refert; sed *ad gloriam & existimationem*, quæ Medicum insequitur & concomitatur. Lector judicet. Filias insuper omnes, 8
non secus ac filios, artem docuit Aesculapius, atque ita docuit, ut non minus atque ipse in ea excelluerint, ob insignia etiam in mortales merita numero tandem Deorum adscriptæ, aris 9
statuisque fuerint honoratæ. Ea causa Aesculapius, apud Aristophanem in Pluto, actu III. sc. I. ob liberos doctrina arteque celebres, atque ut verbo dicam, patrissantes, felici epitheto εὔπαις vocatur. Ἀναβοᾶζομαι, inquit Comicus, τὸν εὔπαιδα, καὶ μέγα βροτοῖς φέγγος Ἀσκληπιὸν; *Pulchriliberum sonabo, maximum mortalium lumen Aesculapium*. Licebat enim 10
olim & fœminis exercere medicinam, quod & *Ocyrrhoën* Chironis filiam factitasse, & *Oenonem* Nympham, ex Ovidio constat, Metam. lib. II. fab. XIII. & Epist. Heroid. de plurimisque aliis passim est in historijs. Ac tamenetsi, ut Hyginus narrat, fab. CCLXXV. Athenienses aliquando hoc abolitum voluerint, decretoque caverint, ne mulier aut servus Medicinam faceret; tamen necessitate coacti fuerunt permittere, ut ex fœminis, quæ ingenuæ essent, saltim quoad parturientium affectus, aut ejus partis, qua sunt fœminæ id quod sunt, artem medicam addiscerent. Nos alibi pluribus hac de re pertractavimus: revertamur ad Hygeiam. Eam ab Athenienſibus & 11
Megarensibus Numinis cultu honoratam, Pausanias auctor est in Attic. sub fin. Epidauri vero templum habuisse, & apud Corinthios, Argivos, & in Titane monte, testis idem est in Corinth. & apud Aegienses eidem templum dedicatum ab Eurypylo, postquam ab insaniæ morbo evasisset, notat in Achaicis. Romæ Saluti, quæ eadem cum Hygeia, ædes locata est, anno 12
V. C.

©BIU Santé

V. C. cccclxxix. à C. Junio Bubulco Prætore, quam idem Cos. bello Samnitum voverat, ut meminit Livius lib. ix. & x. Haut tamen scio, an ædes hæc eadem fuerit, cum Salutis templo, quod Onuphr. Panuinius in Descript. Vrb. Rom. cap. xiii. in Vrbis Regione vi. in monte Quirinali collocat, & S. Vitalis esse putatur, de quo Ovidius lib. i. Fastor.

Iarus adorandus, cumque hoc Concordia mitis;
Et Romana Salus, atque Pacis erit.

13 Quidquid sit, diem dedicationis templi Cicero lib. iv. ad Attic. Epist. i. *natalem Salutis* vocat. Festus Pompeius etiam *Portam Salutarem*, quod prope ædem Salutis esset, dictam scribit. *Vicum* vero *Salutarem*, ab eadem appellatum, in x. Vr-
14 bis regione collocat P. Victor lib. de Vrbis Reg. Habuit vero & aliud Romæ templum Hygeia, sive Salus, sed cum Patre Aesculapio ipsi commune, in quo iisdem uterque sacris colebatur: cuius reliquias Pomponius Lætus lib. de antiq. Vrb. Rom. duos illos fornices esse putavit, qui Romæ prope templum D. Mariæ Novæ, ad finem fori Romani, in horto con-
15 spiciuntur, vetustate collapsi. Hygeiæ autem huic, nunc soli, nunc una cum Aesculapio Patre solenniter supplicabatur, additis formulis, *pro salute Dominorum, liberorum, suorumque omnium*, votaque solvebantur, ut inscriptiones superstites ostendunt, quarum exemplum unum aut alterum subscribo.

Albæ Iuliæ, teste Zamoscio in Analect. Antiq. Daciæ cap. vii.

AESCVLAPIO. ET. HYGIÆ
L. SEPT. NIGRINVS. PATRO
COLL. FABR. COL. APVL.
PRO. SALVTE. SVA. ET
SVORVM. POSVIT.

Ibidem.

©BIU Santé

Ibidem.

NVMINI. AES
CULAPI. ET. HY
GIAE. PRO. SA
LVTE. DO
MINOR. N N
AVG
ANTROCIVS
VERNA. IPSOR
EX. DISP. POS

Item in Transilvania, teste Wolffg. Lazio lib. XII. Comm. Reip. Rom. Cap. II.

HYGIAE
AVG
MIL. LEG. VI
VOTVM
SOLVIT

Et Adrionapoli, teste eodem.

ΖΩΣΙΜΟΣ. ΟΝΗΣΙΦΩΝΤΗΣ
ΚΑΙ. ΤΡΕΙΤΩΝΙΣ. ΥΠΕΡ. ΤΟΥ
ΥΙΟΥ. ΟΝΗΣΙΦΩΝΤΟΣ
ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΕΙΑΙ.

Eidem porro Hygeiæ apud veteres moris erat à cœna poculum libare, quod μετάνιπτρον, sive μετανίπτριδα Υγείας vocabant. Ita Polluci lib. VI. μετάνιπτρις poculum est, quod sumebant postquam laviſſent; hoc enim est μετὰ νίπτρον, *post lavationem*: idque sacrum habebatur Hygeiæ, ut *cratera* Iovi Σωτῆρι, aut 16

©BIU Santé

bono Genio. Hinc Callias in Cyclopib. apud Athenæum lib. XI.

Καὶ δέξαι πλωδὶ μεταίπτριδα τ̃ Υγιείας;
Accipe sis istam die metaniptrida Hygeiæ.

Et Philetærus in Æsculapio:

Ἐνέστρε μεσῳ ἴσον ἴσῳ μεταίπτριδα
Μεγάλῳ, ὑπφαῶν τ̃ Υγείας τ̃νομα;
Qualiens repletam, par pari, metaniptrida,
Magnamque, Hygeiæ nomen eloquutus est.

Item Nicostratus in Anteroſa, apud eundem lib. XV.

Μεταίπτριδ' αὐτῷ τ̃ Υγείας ἔγχεον·
Divæ illi Hygeiæ infundito metaniptrida.

17 Augurij quoque speciem habebant Romani, quam *Salutis augurium* vocabant, Dion Υγείας οἰώνισμα. Id observabatur in Æsculapii templo in Tyberis insula, & nefas erat fieri, quotiens fiebat, alia die, quam qua nullus exercitus ad bellum sit profectus, nullus hostis in aciem prodierit, aut pugna fuerit inita. Neque enim aliter purum augurium capi posse putabant. Explorabant autem hoc augurij genere, concedantne DI, ut populo vel Reipub. salus postuletur; quasi nefas esset eam prius, quam concedatur, petere, ut est apud Dionem lib. XXXVII. Hoc augurium post bella Syllana à Pompeio M. revocatum, auctor est idem Dio: iterum vero bellis civilibus intermissum restituit D. Augustus, teste Suetonio in Octav. cap. XXXI. & Dione lib. LI. post denuo intermissum annis XXV. renovavit Claud. Imp. ut Tacitus memorat Annal. lib. XII. Eruditissimus tamen Casaubonus Animadvers. ad Sueton. putat Dionem sine ratione Salutis augurium Græce Υγείας οἰώνισμα appellasse; quod Salus hic sit non Υγίεια, sed Σωτηρία,
18 ut ipsa etiam Dionis verba videntur insinuare. Simulachro insuper Hygeiæ sive Salutis, non secus atque Æsculapij, *serpentes* olim, aut *dracones* addi solitos, Macrobius refert, Saturn. lib. I. cap. XX. quod & ipsa præstare crederetur, ut hominum corpora,

©BIU Santé

pora, infirmitatis pelle depoſita, in priſtinum vigorem reſtituerentur, ut dracones adſolent; ſingulis annis ſenectam cum pelle exuentes. Quam ob cauſſam Proclus Lycius non immerito ἀγλαόδωρον Hygeiam appellat, ſeu *pulchridonam* aut *pulchra donantem*. Romæ in hortis Cardinalis Eſtenſis marmoreum monſtratur Hygeiæ ſimulachrum elegantiſſimum. In eo habitu matronali, ſtolam induta, & vitta caput revincta conſpicitur, pede dextro lapidi innitens, dextra manu offam tenens in patera, eamque ſerpenti, brachio manuique ſiniſtræ circumvoluto, libandam porrigens. Ubi de habitu matronali 19
& vitta notandum, ijs caſtitatem, modeſtiam & vitæ morumque integritatem ac ſanctimoniam ſignificari, quod de Æſculapij etiam toga monuimus. Neque aliter Hygeiæ habuit in Titane monte ſimulachrum, quod undiquaque velatum fuiſſe lacinijs veſtis Babylonicæ, Pauſanias in Corinth. teſtatur. Et ſimili fere ſemper habitu eſt in nummis, quorum duos habet Angelus Abbatius tract. de viperis. In quibus viperam dextra tenet; ſiniſtra pateram. In Gordiani nummo ſerpenti pateram lambendam præbet. Subſcribitur in omnibus ſimulachro, *SALVS AVGVSTA*. At in nonnullis Antonini nummis Hygeia in ſella ſedet, pro pedibus ſerpentem habens, qui partim in orbes ſe conſpirat, partim per virgam illi obtentam flexuoſo meatu ſubreptitat. Circumſcriptio eſt: *SALVS ANTONINI AVG*. Exſtat apud Athenæum lib. ult. *hymnus elegantiſſimus* ſive *Pæan*, ut ipſe nominat; aut ἆσμα, ut ſimpliciter vocat Max. Tyrius, in princ. Diatribæ XLI. Eum Hygeiæ olim inſcripſit Ariphron Sicyonius: eſtque *jucundiſſimus & pleniſſimus Gratiarum*, J. Cæſ. Scaligeri judicio, lib. 1. Poët. cap. XLIV. dignuſque omnino qui adſcribatur: 20

ΥΓΙΕΙΑ πεισβύστα μακάρων,
Μετὰ σῷ ναίοιμι
Τὸ λειπόμβιον βιοτᾶς.
Σὺ δέ μοι σοφρων σύνοικος εἴης.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 75 sur 248

©BIU Santé

Εἰ γάρ τις ἢ πλέτε χάρις, ἢ πικέων,
Τᾶς τ' ὀλβαίμονος τ' ἀνθρώπις
Βασιληίδος δέχας, ἢ πόθων,
Οὓς κρυφίοις Ἀφροδίτας ἄρκυσι θηρεύομεν·
Ἢ εἴτις ἄλλα θεόθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
Ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται·
Μετὰ σεῖο, μάκαιρα ΥΓΙΕΙΑ,
Τέθηλε πάντα, ϗ λάμπει χαρίτων ἔαρ,
Σέθεν δ' χωρὶς ἔπις ὀλβαίμων.

Latine hunc ita reddideris ad verbum:

O Dia Dearum, HYGEIA,
Fac tecum exigam,
Quod superat ævi,
Teque benivolam habeam mihi contubernalem.
Nam, si quid in divitijs est gratiæ, aut liberis,
Aut, quem beatum prædicant mortales,
Regio principatu, aut desiderijs,
Quæ clandestinis Veneris cassibus venamur:
Aut siqua alia divinitus hominibus voluptas,
Aut à laboribus est recreatio:
Tecum, ô Diva HYGEIA,
Illa omnia florent, Charitumque ver renidet,
At te seorsum nemo beatus.

21 Nec minus elegans in eandem exstat Orphei, aut Onomacriti hymnus, ex quo desumpsisse etiam aliqua videri queat Ariphron:

Ἱμερύεσσ', ἐρατὴ, πολυθάλμιε, παμβασίλεια,
Κλῦθι μάκαιρ' ΥΓΙΕΙΑ, φερόλβιε, μῆτερ ἀπάντων.
Ἐκ σέο γὰρ ἴσοι μὲν ἀποφθινύθουσι βροτοῖσιν,
Πᾶς δὲ δόμος θάλλει, πολυγηθὴς εἵνεκα σεῖο,
Καὶ τέχναι βρίθουσι· πόθει δέ σε κόσμος ἅπας,
Μοῦνος δ' συγέει σ' αἰδὴς ψυχοφθόρος αἰεί·
Εὐθαλὴς, εὐκταιοπάτη, θνητῶν ἀνάπαυμα·

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 76 sur 248

©BIU Santé

Σῦ γὰρ ἄτερ πάντ' ἐστὶν ἀνωφελῆ ἀνθρώποισιν.
Οὔτε γὰρ ὀλβοδότης πλῆτ' γλυκερὸς θαλίῃσιν,
Οὔτε γέρων πολύμοχθ' ἄτερ σέο γίνεται ἀνὴρ.
Πάντων γὰρ κρατέεις μένη, Ϛ πᾶσιν ἀνάσσῃς.
Ἀλλὰ θεὰ μόλε, μυσιπόλοις Παιάρροθ' αἰεὶ,
Ῥυομένη νούσων χαλεπῶν κακόπτμον ἀνίαν.

Eum nos Latinis verſibus ita ad verbum transferre voluimus:

Suavis, amata, virens lætum, ſuper omnia regnans,
Diva SALUS, *opibus pollens, audi incluta mater.*
Tu morbos miſeris prohibes mortalibus: omnes
Per te ædes florent, in te lætantur: amœnæ
Per te artes augent. Te reginam expetit orbis.
Te violens odit Pluto, cui funera curæ.
Exoptata, vigens, hominum prædulce levamen.
Te ſine in humana prorſus nihil utile vita.
Divitiæ nec enim quidquam præſtare potiſſunt
Te ſine, nec cuiquam ſine Te venit alba ſenectus.
Cunctos imperio premis una, & cuncta gubernas.
Tantum ades, & tibi devotis, Diva auxiliatrix,
Morborum gravium triſtes defende labores.

Aut ſi hic quoque mavis divinum Scaligerum audire:

O fœcunda SALUS, *& amabilis, omnibu' regnans,*
Huc adſis Meditrina opulentifer, omniparenſque.
Teſtilitas ex te omnis abit mortalibus ægris,
Cuncta lepore tuo viridant vitulantia tecta,
Dædalaque ars; te mundu' cupit, perculſu' ſua vi.
Tantum odit te DIS, *vitai peſſima finis.*
O cupiunda, veges, ſolamen amabile rerum.
Te ſine nulla ſeni uſurpanda in fine ſenectæ
Gratia: ſola omnes capias, ſola omnibu' regnas.
Sed tu blanda tuis præſto adſis Diva Camillis,
Avertens peſtes, morborumque agmina amara.

Cæterum de *Meditrina* Dea apud Romanos, an cum Salute, 22

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 77 sur 248

©BIU Santé

aut Hygeia eadem fuerit, adfirmare non certo possum; sanitatis tamen eam præstitem fuisse, nullum dubium. Ejus sacra dicebantur *Meditrinalia*, & celebrabantur V. ID. IIXBR. Varro lib. v. de L L. *Meditrinalia dies dictus, à medendo, quod, ut Flaccus Flamen Martialis dicebat, hoc die solitum vinum novum & vetus libari, & degustari medicamenti caussâ. Quod facere solent etiam nunc multi, cum dicunt: Novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor.* & Festus. *Meditrinalia dicta hac de caussâ. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, diceret ominis gratia: Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ Deæ nomen cœptum,*
23 *ejusque sacra Meditrinalia dicta.* De Minerva certum est, eam cum *Hygeia* ijsdem & communibus sacris coli consueviſſe, cumque hac illam sanitati, ut numen tutelare præstitutam, atque ita, ut veteres loquebantur, Θεὰς συννάους καὶ συμβώμους fuisse. Colligere hoc est ex Pausania, in Atticis, ubi ait: Τῇ Διοτρεφοῦς πλησίον Θεῶν ἀγάλματά ἐστιν, Ὑγίας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν, καὶ Ἀθηνᾶς Ὑπίκλησιν, καὶ ταύτης Ὑγιείας; *proxime ad Diotrephis statuam posita sunt Deorum signa, Hygiæ, quam Æsculapij filiam dicunt, & Minervæ, cui itidem Hygieiæ, id est Sospitæ, est cognomentum.* Et in Arcadicis. Ἱερὰ δὲ Ἀσκληπιοῦ τά
24 ἐστι καὶ Ἀθηνᾶς. *Fana vero illis sunt Æsculapij & Minervæ.* Et Hygeiam Minervæ cognomentum esse notavit Suidas, in voce Ὑγίας ἀθηνᾶς· & Auctor Etymologici. Atque huic Minervæ Hygeiæ, Aristides ait, ab Athenienſibus dedicatam aram. Ea autem fuit in Arce Athenis, ut meminit Plutarchus in vita Periclis, Athenienſium Principis, quem scribit apposuisse hoc titulo simulachrum, quum unus ex opificibus Parthenonis è tecto delapsus, remedio à Minerva in somnis indicato, à mortis discrimine fuisset ereptus. Cujus historiæ etiam meminit Plinius lib. XXII. cap. XVII. & remedium illud in somnis commonstratum tradit fuisse *Parthenium* herbam, id nominis ab inventrice ἀπὸ τῆς Παρθενίνης sortitam: cujus etiam, inventum idem

©BIU Santé

idem Plinius lib. XXIV. adfirmat fuiſſe *Argemonen* herbam. Cæterum Pauſanias de Acharnis agens, ait *βωμὸν* apud hos quoque fuiſſe, ſive aram, Minervæ Hygeiæ. Nec dubito eandem eſſe *Minervam Pæoniam*, à Pœone Medico aut à ſanando dictam, cui ſtatuam Athenis in porticu dedicatam, non longe à Piraica porta, & apud Oropios in templo Amphiarai aram poſitam, docet idem Pauſanias: & meminit Plutarchus in Lycurgo, eidem extra urbem fuiſſe templum. Minervæ inſuper Σωτείρας & Λαοσόου meminit Heſychius: Ὀφθαλμίπδα, & Ὀξυδερκῆς, Pauſanias in Corinthiacis & Laconicis: quæ Lycurgi oculo altero ſervato, & caligine ab oculis Diomedis pugnaturi abſterſa, ſic fuerunt appellatæ. Medicamenta inſuper aliquot paſſim apud Medicos exſtant Græcos, quæ & Ἀθηνᾶς & Σωτείρας Ἀθηνᾶς inſcriptiones præſe ferunt. Romæ 25
etiam *Minervæ Medicæ* templum in quincta Vrbis Regione dedicatum Pub. Victor refert in Vrbis Rom. Region. Addo 26
inſcriptionem vetuſtam, quæ non longe à Trebia exſtare dicitur, qua Minervæ ob reſtitutam ſanitatem beneficio medicamentorum ejus, gratiæ aguntur. Eam habet Briſſonius Formul. lib. 1. & Aldus Manutius in Ortograph.

MINERVÆ
MEMORI
COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D P.

Quin & apud Athenienſes Minervæ, non ſecus atque Æſcu- 27
lapio & Hygeiæ, ſacer erat draco, quod Comm. de Iſide & Ozir.

©BIU Santé

Osir. docet Plutarchus. Hunc Arcis custodem dicebant, & placentis mellitis honorabant. Aristophanes Thesmophor. οἰκουρον ὄφιν vocat; & meminit ejusdem Hesychius in Lex. & Herodotus in Vrania. Nisi velis *Minervam Medicam* esse quam Cicero lib. III. de Nat. Deor. *Apollinis matrem* facit. Non
28 audio itaque hic Guidum Pancirollum, qui lib. de Region. Vrb. Rom. in Reg. VI. *Minervam Medicam* dictam suspicatur à veste sericia, sive peplo, quo erat induta; ac vestem sericiam à Medis Medicam dici, ex Cæl. Rhodiginio notat, Lect.
29 antiq. lib. X. cap. XVI. Nec facere possum cum eruditissimo Marco Zuerio Boxhornio, qui Quæst. Roman. I. vulgi licentia subinde factum putat, ut quæ numinis alterius propria erant, alteri attribuerentur. Id vero & Minervæ accidisse, atque ita vel per errorem in adducta Inscriptione eam præsidem Medicinæ dictam, vel Inscriptionem supposititiam esse. Quanquam enim illud interdum fieri consueviſſe facile concesserò: faciunt tamen argumenta & auctoritates, quas adduxi, quo minus hac in re à semel concepta opinione recedere queam, & Medicinæ Præsidio Minervam exauctorare, nisi aliud edoctus
30 fuero. Verum de Hygeia nec illud prætereundum; omnes quidem eam filiam facere Æsculapij; Orpheum tamen in hymno, cuius partem præcedenti capite dedimus, eam Æscu-
31 lapij σύλεκτρον & *conthoralem* indigetare. Altera porro filiarum Æsculapij, per quam discipulos adjurare Hippocrati placuit, est *Panacea*. Dictam ita, quod omnibus mederi queat modo meminimus. Est enim à πᾶν & ἄκος. Unde πανακὲς dicitur, quod *ad omnia est salutare*. Strabo Geogr. lib. VI. de rivulo ex Calchantis & Podalirij sacellis in Daunia profluente. Ῥεῖ δ' ἐξ αὐτοῦ πόμα πανακὲς πρὸς τὰς τῶν ἑλκημάτων νόσους; *Ex iis profluit*
32 *fluit vivus ad omnes cutis morbos salutaris*. Qua ratione & τὸ νηπενθὲς Helenæ, quod in vino Ulysſi exhibuit, Odyss. δ. ab Athenæo lib. V. πανακὲς vocatur: & emplastris antidotisque quibusdam *panaceæ* nomen tributum legimus apud Galenum lib.

©BIU Santé

lib. VII. κῆ πάθες. cap. v. Aëtium tetrab. IV. ſerm. III. cap. XIII. & XIV. & Nic. Myrepſum ſect. I. cap. CCXXIIX. & CCCXLIV. Apud Callimachum Hymno Apoll. comæ Apollinis dicuntur ſtillare non λίπ@ν, ſed ipſam παναάκειαν. Quin & herbæ ſunt hoc nomine non paucæ, inter quas & illa, quam Virgilius Æn. lib. XII. *odoriferam*: Lucanus Pharſal. lib. IX. *potentem* vocat; *ipſo nomine*, ut ait Plinius lib. XXV. cap. IV. *omnium morborum remedia promittens*. Demum & Paracelſici hoc ſeculo medicamentis ſuis operoſioribus & πολυχρήσοις, cumprimis univerſali illi, quo morbos ad unum omnes, nulla habita indicantium aut contraindicantium ratione, percurari poſſe gloriantur, *panaceiæ* nomen tribuunt. Quale tamen medicamentum an detur, videre Lector poterit, apud Cl. Sennertum de Cons. & diff. Chym. cum Ariſtot. & Galen. cap. XIIX. Brunon. Seidelium lib. de morb. incurabil. ſub fin. Mich. Doringium de Medic. & Med. lib. I. part. II. ſect. V. claſſe III. cap. V. quæſt. V. Mart. Rulandum in progymnaſm. quæſt. LI. Io. Freitagium Noct. Med. cap. IXXII. quum noſtri non ſit inſtituti eam rem nunc diſputare. De Panaceia vero, Æſculapij filia, vix plura habemus dicere, quod ſolo fere nomine ex Suida, Plinio, & Hippocratis hoc loco ſit nota. Quamvis ex eo, quod Hippocrates per ipſam diſcipulos ſuos adiurare voluit, liquere facile queat, eam & ſancte olim habitam, & in honore cum Hygeia ſorore, ſi non pari, non tamen nullo fuiſſe, iiſdemque cerimoniis & ritibus Deæ in morem cultam. Quemadmodum & Pauſanias in Atticis refert, apud Oropios ara eam cum Hygeia & Iaſo honoratam: quam poſtremam etiam comitem cum Panaceia Parenti in curandis ægris facit Ariſtophanes in Pluto act. III. ſc. II. Quærat autem aliquis, quur divinus Senex duarum hic tantum filiarum faciat mentionem, perque eas ſolas diſcipulos adiuret? An quia illæ reliquis natu maiores? an quia per iſtas, duas præcipuas medicæ artis partes ex fine de-

33 34 35 36

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 81 sur 248

©BIU Santé

ſumptas, indicare voluit; per Hygeiam nempe ſanitatis integræ conſervationem, per Panaceiam amiſſæ reſtitutionem? Per reliquas enim emolumenta maxime atque utilitates,
37 quas ex medicina percipimus, intelligi videntur. Quur vero filiabus maluit, eam tribuere auctoritatem, quam filiis? An quod prolem maſculam ſuis ſibi virtutibus gloriam parare, ac cœlum meritis aperire, par eſſe putaret; illas vero in parentis gratiam, gratique animi teſtandi, ac poſteros ad ſimilem benemerenti gratitudinem præſtandam invitandi cauſſa mactare iſto honore voluerit? ut Petro Memmio viſum Comm. ad hunc locum. An vero, quod Theod. Zuingero in Tabulis ad Iusjur. Hippocrat. placuit, & qui illum ſequitur, Heurnio, Notis ad ὅρκον, quod per filios Æſculapij ipſoſmet artifices medicos ingenioſa exprimere voluit antiquitas: per filias vero ea, quæ in ipſis requirebantur officia, quæque conſequebantur ornamenta: quorum & adeptio & poſſeſſio Deorum benignitate obtineretur & confirmaretur.

CAPVT SEPTIMVM.

Καὶ θεὸς πάντας, ἓ πάσας, ἱστορας ποιεύμενος.]

SUMMARIA.

1. *Lectio in textu varia.* 2. *Hippocratis intentio.* 3. *Jurandi formula per Deos Deasque συλλήβδην omnes.* 4. *formulæ aliæ, ubi poſt aliquot primum nominatos deinceps jurabatur per omnes.* 5. *aliæ, per Deos Deaſque plurimas promiſcue teſtatas.* 6. DI ἵστορες *invocati.* 7. DI μάρτυρες. 8. *jurare* DIS *attendentibus.* 9. DIS *judicibus.* 10. Ἐπικαλέειν & Ἐπικαλεῖσθαι Θεὸς. 11. *D. Paulli jurandi formula.*

In

©BIU Santé

IN quibuſdam Editionibus hic legitur, Θεὸς τε πάντας 1
τε πάσας. Baſileenſis habet, τε Θεοὺς πάντας τε πάσας.
Lectio ubique bona eſt, nec ſine exemplo bonorum
auctorum; ſenſus idem. Invocatis autem nomina- 2
tim Apolline & Æſculapio, Hygeia & Panaceia, DIs Dea-
buſque præſidibus Medicinæ, pro ſeculi more per Deos
Deaſque omnes cæteros una nunc opera diſcipulos Hippocra-
tes adjurat, omneſque invocat teſtes & conſcios. Atque id,
tum ne præterire ailquem, aut cuipiam Deorum quid derogare
videatur, homo devotus; tum ut jusjurandum tanto auguſtius
& religioſius habeatur, majoremque juranti terrorem incu-
tiat. Quî enim Deorum quenquam propitium ſe habiturum
ſperet, aut in vindicando perjurio reſidem, ſi ſciens volenſque
omnes fefellerit, fidemque juriſjurandi per univerſos datam
violarit? Et fiebat id uſitato ſolennique apud ueteres ritu. Ju- 3
raturi nempe, nunc συλλήβδην, atque uno complexu, nemine
nominatim compellato, Deos Deaſque jurando invocabant.
Demoſthenes orat. adverſ. Conon. ὀμνύω σοὶ Θεοὺς, πάσας Θεὰς,
ἅπαντας τε πάσας. Longus ſophiſta lib. IV. de amor. Daphn. &
Chloës. πρὸ πάντων ὤμοσε Θεῶν. Plautus Caſina, act. III. ſc: V.

Per omnes Deos & Deas deieravit.

Terentius Andria, act. IV. ſc. II.

Per omnes tibi adituro Deos.

Apuleius Meram. lib. IX. *Idque deierans etiamconfirmat per omnia divina numina.* Virgilius lib. VII. Æn.

—— —— *Per ſidera juro,*
Per ſuperos & ſi qua fides tellure ſub ima.

Alias vero, poſt inſignium aliquot Deorum nomina conteſtata 4
per omnes univerſim jurabant, ut docet Servius ad lib. I.
Georg. Virg. *Poſt ſpecialem invocationem,* inquit, *tranſit Poëta ad generalitatem, ne quod numen prætereat. More Pontificum, per quos veteri ritu in omnibus ſacris poſt ſpeciales Deos, quos ad ipſum ſacrum,*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 83 sur 248

©BIU Santé

quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. Exemplum est in hoc Hippocratis jurejurando; & luculentius aliud in fragmento fœderis in Creta reperto, quod est apud Gruterum in Inscription. pag. DV. Ὀμνύω τὰν ἑστίαν, καὶ τὰν * ἀορήτερον * καλεῦσι Δίκταιον, καὶ Ἥραν, καὶ Ἀθωναῖαν Ὠλερίαν, καὶ Ἀθωναῖαν Πολιάδα, καὶ Ἀθωναῖαν Σαλμωνίαν, καὶ Ἀπόλλωνα Πύθιον, καὶ Λατὼ, καὶ Ἄρτεμιν, καὶ Ἄρια καὶ Ἀφροδίταν, καὶ Κόρητας, καὶ Νύμφας, καὶ Κύρβαντας, καὶ Θεὸς πάντας καὶ πάσας; Per *Vestam juro, & *** Dictæum, & Iunonem, & Minervam Oleriam, & Minervam Poliada, Minervamque Salmoniam, & Apollinem Pythium, & Latonam, & Dianam, & Martem, & Venerem, & Curetas, & Nymphas, & Corybantas, & Deos Deasque omnes.* Item aliud in Smyrnæorum & Magnetum fœdere, apud Ioan. Seldenum, in Marmor. Arondel. Ομνύω μὰ Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν, καὶ τὸν Ταυροπόλον, καὶ τὴν Μητέρα, τὸν Σιπυλήνιον, καὶ Ἀπόλλω τὸν ἐν Πάνδοις, καὶ θεοὺς ἄλλους θεὰς πάσας καὶ πάσας. *Iuro per Terram, Solem, Martem, Minervam Martiam, Dianam, Matrem Sipylenem, Apollinem in Pandis, & reliquos Deos Deasque omnes.* Et in formula jurisjurandi, quo fœdus sanciverunt Hannibal & Xenophanes, Philippi Macedonum Regis Legatus, quæ est in Eclogis ex Polybij lib. VII. *Et est fœdus hoc ictum coram Iunone atque Apolline: coram Dea Carthaginensium, Hercule & Iolao: item coram Marte, Tritone, Neptuno: coram DIS expeditionis comitibus: Sole etiam, Luna & Tellure: coram fluviis, pratis & aquis: coram omnibus DIS qui Carthaginem imperio tenent: coram DIS universis qui Macedoniam & reliquam terram Græciam imperio suo obtinent: coram DIS omnibus præsidibus rei bellicæ, qui huic sanciendo fœderi præsentes intervenerint.* Virgilius lib. XII.

—— —— *Terram, mare, sidera juro,*
Latinæque genus duplex, Ianumque bifrontem,
Vimque Deum infernam, & dirisacraria Ditis.

Iuvenalis Sat. XII.

Per

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 84 sur 248

©BIU Santé

Ter Solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi ſpicula vatis;
Ter calamos Venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum, Pater Ægæi Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Minervæ;
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.

Euripides Medea:

Ὄμνυ πέδον γῆς, πατέρα θ' ἥλιον πατρὸς
Τοὐμοῦ, θεῶν τε συλλαβοῦσ' ἅπαν γένος;
Iura ſolum terræ, & Solem patrem patris
Mei, Deorumque inſimul totum genus.

& paullo poſt:

Ὄμνυμι γαῖαν, ἠλίου τε φῶς λαμπρὸν,
Θεούς τε πάντας;
Dejuro terram & fulgidum Solis jubar,
Deoſque cunctos.

Idem Cyclope:

Μὰ τὸν Ποσειδῶ, τὸν τεκόντα σ', ὦ κύκλωψ,
Μὰ τὸν μέγαν Τρίτωνα, καὶ τ' Νηρέα,
Μὰ τλῶ καλυψὼ, τάς τε Νηρέως κόρας,
Μὰ θ' ἱερὰ κύματ', ἰχθύων τε πᾶν γένος;
Non per tuum Patrem, ô Cyclops, Deum maris,
Magnumque per Tritona, perque Nereum,
Per & Calypſo, filiasque Nerei,
Fluctus ſacroſque, & omne piſcium genus.

Sed pergit Hippocrates, & addit, ἴσορας μιαίνω. Ἴσορας μιήσω, Iſocrati in Evagora, & alibi, eſt μαρτύρας μιήσω. Ἴσορας enim, μάρτυρας explicant Schedæ Nobiliſſimi Ioſ. Scaligeri, ex MSS. Regiis excerptæ, quas Heurnius ab ipſo habuit, & ad hunc locum exhibuit; & Heſychius in Lexico. Σωίσορας ὅρκων, dixit Philodemus Anthol. lib. VII. Vnde Heſychio συνίσωρ, μάρτυς. Pro μιαίνω, libri alij habent μιαίνω; quanquam illud ut Ionicum, magis probem. So-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 85 sur 248

©BIU Santé

lenne autem & hoc juraturis erat, ut uſitata formula Deos ἵστορας & μάρτυρας, *teſtes* & *conſcios* jurisjurandi invocarent. Ita Athenienſium Ephebi, ut eſt apud Stobæum in Sermon. juramentum, quo ſe legibus convenientem vitam acturos jurabant, verbis ſolennibus finiebant: ΙΣΤΟΡΕΣ ΘΕΟΙ ΤΟΥΤΩΝ. Et ſacramentum militare Epheborum Athenienſium apud Pollucem, l. b. IIX. cap. IX. hac formula claudebatur. Ἵστορες Θεοὶ, Ἄγραυλοι, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς, Θαλλώ, Αὐξώ, Ἡγεμόνη. *Teſtes Dii ſunto, Agrauli, Enyalus Mars, Iupiter, Nutritia Terra, Diana.* Homerus Iliad. α. invocatis DIs pluribus, addit: 7 Τ' μεῖς μάρτυροί ἐστε. & Iliad. ξ. Νῶϊν ἅπαντες Μάρτυροι ὦσ' ὑπένερθε Θεοὶ. *Numina ſub terris ſint teſtes.* Galenus lib. III. de Criſib cap. X. Ἴσασι Θεοὶ, & καλείσθωσαν μάρτυρες; *Norunt hoc Di, vocatique ſint teſtes.* Euripides Hippolyto:

Τὸν τοξόδαμνον Ἄρτεμιν μαρτύρομαι;
Spicli domantem teſtor Artemin feras.

Item Supplicibus:

Ζεὺς ὃ ξυνίστωρ, οἵ τ' ἐν ἠέρᾳ Θεοὶ;
Hoc Iupiter ſit teſtis, & DI cælites.

Homerus Iliad. o. Odyſſ. ε. & hymno Apollinis:

Ἴστω νῦν τάδε γαῖα, & οὐρανὸς εὐρὺς ὑπερθεν,
Καὶ τὸ καταιβόμενον ὑγρὸς ὕδωρ;
Noverit hoc tellus, quodque eſt ſupra omnia, cœlum,
Et Stygis infernalis aqua.

Virgil. Æn. lib. IX.

—— *Cœlum hoc, & conſcia ſidera teſtor.*

& lib. XI.

Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum
Numen teſtor.

Item lib. XII.

Eſto nunc Sol teſtis, & hæc mihi terra precanti;
Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno.

8 Paullo alia eſt formula illa apud Plinium Secundum, Panegyr. Traiani:

©BIU Santé

Traiani: *Iurat in legem attendentibus DIS*; & apud Senecam Rhetorem Controverſ. lib. VII. in præfat. *DI immortales rerum judices adeſte.* Plato lib. II. de L. L. & Herodotus lib. III. dixerunt ἐπικαλέειν, & ἐπικαλεῖσθαι θεούς: qua formula uſus eſt etiam D. Paullus, Epiſt. II. ad Corinth. cap. II. verſ. XIV. Ἐγὼ ἢ μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι, ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν; *Ego Deum teſtem invoco, in animam meam.* Sed pergamus.

9 10 11

CAPUT OCTAVUM.

Ἐπιτελέα ποιήσω, κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμὴν, ὅρκον τόνδε, καὶ ξυγγραφὴν ταύτην.]

SUMMARIA.

1. Ὅρκος τέλειος, & τελεῖν τὸν ὅρκον. 2. *Sacrificium perfectum.* 3. ἐπιτελέα ποιεῖν ὅρκον. 4. ξύγγραφή. 5. συμφωνία. 6. χειρόγραφον. 7. *Syngrapha, Syngraphus.* 8. *Stipulatio.* 9. *Stipulatio & Syngrapha differunt.* 10. *Mens Hippocratis.* 11. κατὰ δύναμιν & κρίσιν. 12. εἰς δύναμιν, εἰς δυνατὸν. 13. *pro poſſe ac poſſe.* 14. *Secundum intelligentiam.* 15. *Sincero ſtudio.* 16. Trewlich vndt mit beſtem fleiß. 17. παντὶ σθένει. 18. *Ratio & cauſſa dictarum formularum.*

Ὅρκος τέλειος veteribus dicebatur *jusjurandum perfectum*, quod omnibus obſervatis cerimonijs præſtitum erat: & τελεῖν τὸν ὅρκον, erat *jusjurandum religioſe præſtare* ſeu *perfecte*. Ita capio Homerum Iliad. ξ. & Hymno Apoll. 1

—— ὄμοσέν τε, τελεύτησέν τε τὸν ὅρκον.

Hoc ſenſu Virgilius *ſacrificium perfectum* vocat, quod rite peractiſque omnibus cerimonijs exſolvitur, quando Æn. lib. III. de Ænea ait, quod fuerit — *perfecto lætus honore*; 2

nempe

©BIU Santé

nempe *ſacrificio*, quod honor eſt Deorum, ut explicat ibi Ser-
3 vius. At ἀπιλεία ποιεῖν ὅρκον, ut modo loquitur Hippocrates, non eſt, *ſolenniter præſtare jusjurandum*, ſed *ſancte ſervare*. Itaque Gloſſæ Scaligeri, jam ante nobis laudatæ, ἀπιλεία ὅρκου explicant ἀληθῆ, ἀψευδῆ, hoc eſt, *verum*, *nec fallax jusjurandum*. Eandemque ob cauſſam Nonnus Dionyſ. lib. XLVII. juramentum amantium fallax, ἀπίλεσον vocat, ſimilique ratione apud Herodotum lib. I. ὄμνυμι ἀπιλεέειν, non eſt, *votum dare*, ſed
4 *exſolvere*. Id Hippocratem velle, innuit vox adjecta ξυγγραφῆς, ſive *ſponſionis ex ſcripto*, quam jurantes ſe ἀπιλήσειν, hoc eſt, *ſervaturos* pollicentur. Idemque adhuc manifeſtius liquet ex ijs, quæ ſub finem τῷ ὅρκῳ adduntur, ubi, qui jurejurando ſe obſtringit, optima ſibi quæque τὸν ὅρκον ἀπιλεέα ποιέοντι, hoc eſt, *ſancte jusjurandum ſervanti*, & viciſſim συγχέοντι & παραβαίνοντι, ſive *confundenti & tranſgredienti*, contraria omnia ab DIS imprecatur. Eſt autem ξυγγραφὴ, ſive, ut communiter dicunt, συγγραφὴ, ἀπὸ τοῦ συγγράφειν, quod inter alias notiones *ſcripto cavere*, ſive *ſpondere* ſignificat: συγγραφὴ *ſponſio ex ſcripto*, ſive *per ſcriptum facta cautio*, *aut pactum*. Demoſthenes aliubi: ἐπὶ δὲ τοῦτο συγγραφὴν συγγράψωνται ναυτικὴν. *ex quo ſtipulatione nautica ex ſcripto caverint*. Vide Guil. Budæum in Comm. Lin-
5 guæ Græcæ. In Gloſſis Scaligeri συγγραφὴ exponitur συμφωνία, *pactum*, à συμφωνέω *paciſcor*. Lexicon Græco-Lat. Cyrilli: σύμφωνον, *pactum*, *compactum*, *conventum*, *pactio*. Heſychio
6 συγγραφὴ eſt ἀσφάλεια, *ſecuritas*, *cautio*. Græci alio nomine χειρόγραφον vocant; quod propria manu in fidem rei ſcribi ſoleat; idque Attici olim ſimpliciter χεῖρα vocabant, ut ex Hyperide notat Pollux, lib. II. cap. IV. & Suidas. Quanquam Auſonius Popma de differ. verbor. lib. I. inter χειρόγραφον & συγγραφὴν diſtinguat; & χειρόγραφον dicat eſſe *privatam ſcripturam manu cujuſque ſubſcriptam*; συγγραφὴν vero, *quam ſimul plures ſubſcripſerint*: ſive *quæ ex utrjuſque ſtipulatoris conſenſu facta ſit, & ab utroque ſubſcripta & obſignata*, ut vult Iul. Cæſ. Scaliger

Comm.

©BIU Santé

Comm. in lib. 11. Theophr. de cauſſ. plant. cap. xv. Sed vide etiam Gallicæ nobilitatis apicem Salmaſium, lib. de modo uſurar. cap. x. Vſu autem vocabulum συγγραφῆς Latinum factum eſt, ut *ſyngrapha* & *ſyngraphus* diceretur; & utraque ter- 7
minatio non uno in loco apud Scriptores occurrit. Cicero de Aruſp. reſpons. *Alterum habeo Regem, ſi habuerit unde tibi ſolvat, quod et per ſyngraphamcredidiſti.* Plautus Aſinaria act. IV. ſc. I.

Age, iſtum oſtende, quem conſcripſiſti ſyngraphum;
Inter me, & amicam, & lenam.

Alio nomine Romanis, dicebatur *ſtipulatio*, de cujus vocis 8
originatione prolixe & curioſe agentem videas Goeddæum tract. de ſtipulat. cap. I. concluſ. I. Intereſt tamen inter ſtipu- 9
lationem & ſyngraphum, quod ſtipulatio ſit ſolis etiam verbis data promiſſio; ſyngraphus vero ſponſio, vel ſtipulatio ex ſcripto facta. Non contentus itaque Hippocrates futurum 10
Medicum adjurare, ſimul, ut ſyngrapha ſponderet, quod juraſſet, ipſum adigit, ut eo fortius ad promiſſa ſervanda conſtringat. Æque enim ut ex præſtito juramento; ita ex ſtipulatione conceptis verbis facta; & ſyngrapha data, obligatio naſcitur, & utroque modo etiam apud Romanos exigi ſolebat. Teſtis Suetonius in Iulio, cap. XXIV. *Cujus pacti non dubitavit à quibuſdam jusjurandum, atque etiam ſyngraphamexigere.* Et in Caligula cap. XII. *Deque ea re & jurejurando & chirographo cavit.* Et jam ante in Auguſto cap. XCIIX. *juſque jurandum & cautionem exegit à ſingulis.* Sed pergit Hippocrates, & addit, 11
κατὰ δύναμιν & κρίσιν ἐμὴν; *quantum viribus & judicio valuero.* Ita Polybius lib. VI. ἐξορκίζειν, ἡμῖν πειθαρχήσειν, & ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων, κατὰ δύναμιν; *Dejurant ſe nobis obedituros, & facturos quod imperatum fuerit ab Archontibus, quantum viribus valuerint.* In fœdere Smyrnæorum & Magnetum, apud Ioan. Seldenum, in Marmor. Arondel. eſt, κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, & κατὰ δύναμιν τὴν ἐμαυτοῦ. In fœdere Athenienſium cum Argivis apud Thucydidem lib. v. idem ex- 12

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 89 sur 248

©BIU Santé

primitur per verba κατὰ τὸ δυνατὸν, & Græcis aliter etiam dicitur εἰς δύναμιν, εἰς δυνατὸν; *quantum fuerit possibile*: hoc est, quantum vires animi & corporis, judiciumque humanum in jurisjurandi observatione præstare poterunt. Solenni enim formula jurantes omnia, in quæ jurando adiguntur, servaturos se pollicentur, sed quantum viribus suis, judicioque valuerint,
13 sive *pro nosse & posse*, aut *juxta intelligentiam*, ut alias verba in juramentis concipi solent. Ita juramentum fidelitatis, quod Domino feudi præstat uasallus, lib. II. Feud tit. VII. in hæc concipitur verba: *Si scivero, vel audiero de aliquo, qui velit aliquid contra te facere,* PRO POSSE MEO, *ut non fiat, impedimentum præstabo* Item: *Contra eum, prout* POTERO, *auxilium præstabo.* Item: *Meum tibi,* SICVT POTERO, *auxilium præstabo.* Ita Carolus M. in juramento, quod Leoni III. Pontifici anno Io. ccc. præstitit, omnia ad quæ se obstrinxerat, servare velle promittit, *quatenus divino fultus fuerit adjutorio, prout scierit, potueritque.* Formulæ similes aliæ videri possunt in Constit. de pace Confluentina; in Clementina, de jurejur. & cap. Tibi Domino. Distinct. LXIII. Pipinus, Galliæ Rex, in Decretis cap. XVI. ut habentur in Constit. Imper. Tomo
14 III. judicibus præcipit, ut jurent, quod *secundum intelligentiam* velint judicare. Aurelius Cassiodorus lib. II. Divinar. Lect.
15 cap. XXXI. Medicos hortatur, ut languentibus *sincero studio* serviant: quod Ferdinandus. I. Imp. de iisdem agens in Reformat. Politiæ, anno Io. LII. publicatæ, vernacula
16 lingua exprimit: Trewlich/ vndt mit beſtem fleiß. In fragmento fœderis antiqui, apud I. Gruterum in Inscript. pag. Iov.
17 est παντὶ δέν, *omni ui & facultate.* Iure autem formulæ ejus-
18 cemodi in juramentis adduntur. *Quum* enim *tria requirantur in agendo*, ut de formula Hippocratica ait Theod. Zuingerus, in Tabb ad Hipp jusjur. *posse, scire, velle: voluntas reliquorum veluti pedissequa est. Quum nemo sanæ mentis id velit, quod neque possit, neque sciat; multi è contra possint & sciant, quod tamen nolunt.*

Eo

©BIU Santé

Eo ipso igitur, quod jurat quispiam, voluntatem suam explicat, non absolute tamen, sed humanitatis suæ memor κατὰ δύναμιν & κρίσιν. At scelere in arte medica se contaminant, inquit Heurnius Comm. ad hunc locum, *qui, quum possint juvare, nolunt: & temeritate, quum volunt quæ præstare nequeunt.*

CAPVT NONUM.

Ἡγήσασθαι μὲν τὸν διδάξαντά με τὴν τέχνην ταύτην ἴσα γενέτῃσιν ἐμοῖσιν, καὶ βίου κοινώσασθαι, καὶ χρεῶν χρηίζοντι μετάδοσιν ποιήσασθαι.]

SUMMARIA.

1. *Jurisjurandi pars secunda.* 2. *Lectio in textu varia.* 3. γενέτῃ *qui?* 4. *Parentes honorandi.* 5. *post illos maxime Præceptores.* 6. *& merito.* 7. *Præceptorum honoratorum exempla.* 8. *Præceptoribus post Deos libandi mos.* 9. *Discipulorum in Præceptores impietas.* 10. *Parentes alendi.* 11. ἀνθυπηρεσία, ἀντιπλαργήματα. 12. *Præceptores alendi.* 13. κοινώειν βίου. 14. *Exhibere.* 15. *P. Memmius notatus.* 16. Βίος, πολύσημον. 17. Τὰ ἐπιτήδεια. 18. Χρεία, ἔνδεια. 19. *Siracidis locus à Goldasto explicatus.* 20. χρεῶν χρηίζειν. 21. Μετάδοσιν ποιεῖσθαι. 22. *Exempla eorum qui Præceptoribus benefecerint.*

VIdimus primam hactenus Jurisjurandi Hippocratici partem, quæ Deorum contestationem continet, & juramenti sancte servandi stipulationem. Sequitur altera, qua conceptis verbis plenius proponuntur articuli, in quos servandos juraturi adiguntur. Quædam autem exemplaria, ut hoc primum moneamus, ἀντὶ τοῦ ἡγήσασθαι, habent ἡγήσεσθαι, ut sit futurum, pro aoristo: quemadmodum exemplaria eadē in consequentibus pro κοινώσασθαι & ποιήσασθαι, legunt κοινώσεσθαι, & ποιήσεσθαι, sensu non parum liquidiori; præ- 1 2

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 91 sur 248

©BIU Santé

ſertim quum & præcedentia & ſubſequentia in futuro efferantur. In Baſilienſi editione, quemadmodum & in Excerptis Scaligeri, ſcriptum quoque invenimus ἴσα καὶ γνέτησιν, copula interjecta; quæ tamen abundat, & nullo ſenſus detrimento abeſſe poteſt. Dicitur ἴσα γνέτησιν ἡγήσασθαι, ut apud Callimachum, hymno Dianæ ἴσον φαέεσσι φιλῆσαι, *oculorum inſtar diligere*, & apud Moſchum Eidyll. Megæra, ἴσον τόν φαέεσσι, *oculorum*
3 *inſtar obſervare*. Sunt vero γνέται hic ijdem, qui γνετῆρες, *genitores* nempe, ſeu *parentes*. Heſychius quidem in Lexico, non tantum γνέται notat eſſe πατέρα; ſed γνέτας etiam interpretatur τοὺς ἐκγόνους; quem is ſequitur, cujus pauca Scholia in hunc locum Joſ. Scaliger Heurnio communicavit, & γνέτας ait eſſe συγγενέας, ſive ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, hoc eſt *cognatos*, idque exemplis inſuper ex Philebi Colace, & Rinthi lib. περὶ Ατλικῆς συνηθείας, docet; ac propterea vocem γνέτησιν hoc loco interpretatur γονεῦσιν, ἢ συγγενέσιν, ac ſi æque cognati per ipſos, ac parentes, intelligi queant. Et poterit ſane vocis ſignificatio eſſe ambigua. Si tamen penitius paullo contextum verborum inſpiciamus, liquido patebit, Hippocratem per γνέτας hic non alios intelligere quam *parentes*. His etenim ἢ τὸν διδάξαντα, ſeu *præceptorem*, tanquam *alterum parentem* exæquat: & τοὺς ἐκγόνους, ſive ἐκγενέας τῶν γενέτων, *poſteros* nempe *parentum*, mox ſub ἀδελφοῖς ἄρρεσιν, ſive *fratribus maſculis* comprehendit, atque his viciſſim τὸ γένος ἐκ τοῦ διδάξαντος, hoc eſt *præceptorii poſteros* opponit, ac pari loco utroſque æſtimat. Primum vero hoc vult divinus Senex, Præceptores à diſcipulis non ſecus
4 ac parentes coli debere. *Sane*, ut Plutarchus ait lib. de fraterno amore: *hoc omnes dicunt, naturam, & quæ naturam ſervat legem, primum ac præcipuum ſecundum Deos honorem parentibus deſtinaſſe; neque quidquam gratius Dijs facere homines, quam ſi parentibus alumniſque ſuis, veteres ſupernovis fœneratas gratias, benigne & alacriter perſolvant: neque contra majus eſſe argumentum impietatis, quam*
5 *parentum deſpicatus & in eos injuriæ*. Quemadmodum autem præ-

©BIU Santé

præceptores, qui quidem vere id nominis merentur, aut mereri allaborant, discipulos suos paterno amore prosequuntur, nec quidquam prætermittunt laboris, industriæ aut diligentiæ, quod ad uberiorem eorum informationem facere queat: ita viciſſim à discipulis bonæ frugi, piisque, tanquam patres ac formatores animorum, omni observantia coli atque honorari merentur: adeoque tanto majori cum gratiarum actione, ac benefaciendi studio; quanto majori dignitate animus corpus excellit, gravioresque in illius efformatione præceptoribus curæ incumbunt. Χρὴ τὰς μαθητοποιὰς, inquit Isidorus Pelusiota, lib. 11. Epist. XXVI. καὶ ὡς πατέρας φιλεῖν τὰς ὄντως διδασκάλους, καὶ ὡς ἄρχοντας δεδοικέναι. *Discipuli veros magistros, & ut patres amare, & ut principes vereri debent.* A parentibus enim liberi vitam; at bene vivendi rationem, & alteram quasi vitam, aut animi vitam, habent à præceptoribus. Itaque merito Iuvenalis Sat. VII. majores laudat, ipsorumque manibus bene precatur, quod singulari favore & veneratione præceptores æque ac parentes complectendos censuerint: 6

Di majorum umbris tenuem & sine pondere terram,
Spirantesque crocos, & in umbra perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

Atque hoc est quod Quinctilianus Instit. Orat. lib. 11. cap x. cõmonefacit discipulos, *ut præceptores, non minus quam ipsa ament studia, ac parentes esse, non corporum quidem, sed mentium credant.* Seneca lib. VI. de benef. cap. XVI. de Pædagogo loquens, *Hic in me docendo*, inquit, *& laborem & tædium tulit, hortando bonam indolem erexit, & modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingentum latens & pigrum injecta manu extraxit: nec quæ sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius: sed cupit, si posset, universa transfundere. Ingratus sum nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.* Idem Pellæus juvenis, orbis terrarum ille subactor, & Magni inde nomen adeptus,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 93 sur 248

©BIU Santé

ingenue fateri de præceptore ſuo nunquam erubuit: Ἀριστοτέλη, ut eſt apud Plutarchum in Alex. ἠγαμάζων, καὶ ἀγαπῶν οὐχ ἧττον ἢ πατρός· ὡς μὲν γὰρ ἐκείνου μὲν ζῶν, διὰ τοῦτον δὲ καλῶς ζῶν. *Ariſtotelem ſuſpiciens, atque amans non minus quam patrem: ut qui ab hoc haberet, quod viveret, ab illo vero quod bene viveret.* Neque idem ante ipſum ejus pater, Philippus Macedo ignoravit, quando apud Agellium Noct. Att. lib. IX. cap. III. in Epiſt. ad Alex. ſcribit, *ſe non tam DIS habere gratiam, quod Alexander ſibi natus, quam quod Ariſtotelis ætate id contigerit: ſperare enim ſe, Alexandrum, ſi ab Ariſtotele educetur atque erudiatur, dignum imperio ſucceſſorem habiturum*: quod ſciret verum eſſe Theognidis illud ἐν γνώμαις·

Φῦσαι μὲν θρέψαι ῥᾴδιον βροτὸν, ἢ φρένας ἐσθλὰς
Ἐνθεῖναι.

Progenerâſſe hominem facile eſt; at mens bona multa
Inſeritur cura.

7 Eodem reſpexerunt ſummi Imperatores, Reges, Principes, quotquot inſigni quopiam honore præceptores fuerunt proſequuti. Nec enim aliam ob cauſſam Divus Auguſtus Sphærum Pædagogum ſuum publice ſepelivit, ut auctor eſt Dio lib. XLIIX. aut M. Antoninus Philoſophus præceptorum imagines aureas in Larario habuit, aut ſepulchra additis hoſtijs & floribus honoravit, Cornelio vero Frontoni ſtatuam in Senatu poſuit & Proculum ad Proconſulatum evexit, ut Iul. Capitolinus, & ex Dione Xiphilinus, in ejus vita teſtantur. Idem certe Auguſtus, victoria potitus contra Antonium & Cleopatram, civibus Alexandrinis eo facilius ignovit, quod concivem haberent Areum, cujus ipſe opera in Philoſophia fuerat uſus, ut eſt apud Dionem lib. LI. Quo facto Alexandrum M. eſt imitatus, qui in Præceptoris Ariſtotelis gratiam, ut Stagiræ, quibus is erat natus, à Philippo Patre everſæ, reædificarentur, permiſit, quod referunt Plinius lib. VII. cap. XXIX. & Laërtius lib. V. in Ariſt. cujus etiam rei memoriam ſolenni quotannis feſto, quod

Ariſto-

©BIU Santé

Ariſtoteleia dicebatur, Stagiræ olim recoluerunt, ut auctor eſt Ammonius in Ariſt. vita. Achilles vero, Græcorum fortiſſimus, miſſum ad ſe Phœnicem præceptorem, ab Agamemnone Legatum, non honorifice tantum habuit, ſed regni inſuper dimidium obtulit, atque in dignitatis parilitatem, verſu illo aureo apud Homerum Iliad. ι. invitavit:

Ἶσον ἐμοὶ βασίλευε, καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς.
Mecum una regnes, parilem ſortitus honorem.

Philoſophorum etiam Princeps, quamquam à ſententia Præceptoris libere ſæpius diſceſſerit, non obtrectationis aut invidiæ, ſed veritatis ſtudio, pietatem tamen ſuam, animique gratitudinem erga eundem eo declarare voluit, quod aram ipſi erexit, addita honoris plena inſcriptione, quæ eſt in Epigramm. Græcis.

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τόνδε Πλάτωνι,
Ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν πᾶσι κακοῖσι θέμις.
Hanc ſuo Ariſtoteles Platoni dedicat aram,
Quem nec, uti laudet, qui malus eſt, meruit.

Et notare operæ pretium eſt, quod Athenæus lib. x. refert, 8
conſuetudinis apud Græcos fuiſſe, ut diſcipuli DIS primum, mox præceptoribus bene precati, libarent. Atque hic præceptores colendi & venerandi amor, quaſi à natura bonæ mentis hominibus, & liberalis animi, inſitus videtur, quum & *bruta naturæ ſuæ ductu paſtoribus obtemperent, ut ſequi eoſdem, ac veluti colere obſerventur*, ut Dionyſius Halicarnaſſæus in princ. Hiſtor. loquitur: atque etiam *locus ille mutus*, verba ſunt Ciceronis ex Orat. pro Plancio, *in quo educatus ſis & doctus, ſubinde cum grata recordatione animo obverſetur.* Quanquam non defuerint ab o- 9
mni ævo diſcipuli, qui inſtar Plautini Piſtocleri in Bacchid. act. I. ſc. II. minitarentur præceptoribus, atque Herculem imitari optarent, qui olim Lino præceptori plectro caput confregit, ut Ælianus habet Hiſtor. Var. lib. III. cap. XXXII. aut Neronem, qui *Senecam familiarem præceptoremque, ad eligendæ*

mor-

©BIU Santé

mortis coegit arbitrium, ut ait Boëthius de consolat. Philos. lib. III. prosa v. *cuique*, ut Taciti Annal. lib. xv. adscribam verba, *nihil aliud superfuit post matrem fratremque interfectum, quam* 10 *ut præceptoris & educatoris necem adjiceret.* Præter honorem autem, atque observantiam liberi parentibus alimoniam præstare insuper debent, & ipsorum necessitatibus succurrere, quod justum esse ait Lex II. C. de alend. lib. idque tum de jure naturali, ut vult Bartolus in L. si quis à liberis. D. de liberis agnos. tum jure gentium, quo Lycurgus sancijt, ut *liberi aut alant parentes, aut vinciantur*; sive, ut Solonis lex voluit, apud Laërtium lib. I. in Sol. *infamia notentur.* Cicero lib. IX. ad Attic. Epist. IX. *parentes non alere*, ait, *esse nefarium.* Et Seneca Pater lib. I. Contr. I. de parente verba faciens, *Egone*, inquit, *fame morientem videam, per cujus cineres juraturus sum*, 11 Vocantur autem ea, quæ parentibus ita exhibentur, ἀντιθρεπτήρια, & ἀντιπελαργήματα, quasi *renutritoria*, aut *retributoria* dicas. Homerus Iliad. δ. simpliciter θρεπτὰ, Hesiodus ἔργων α. 12 vocavit θρεπτήρια. Quum itaque Præceptores parentum vicem discipulis præstent, hos quoque alimenta illis & necessaria debere, æquum justumque censuit Hippocrates. Hoc volunt verba quibus adigit jurantes, ut promittant præceptorem χρεῶν χρηίζοντα κοινώσασθαι βίου, & μισθόσειν πησασθαι: hoc est, 13 *alimentis sustentare, & necessarijs instruere, quibus indigeat.* Nam quod Hippocrati hic est κοινώσειν βίου, id Xenophonti est κοινω- 14 νεῖν σιτῶν καὶ ποτῶν, Isocrati ἱκανὸν βίον παρέχειν; Latinis *exhibere*: qui ea voce absolute utuntur pro *alere*, sive *alimenta præstare*, ut passim ex Pandectis liquet apud IC^tos^; quo sensu etiam lo- 15 quutus est Justinus in Epist. Trogi. Neque aliorsum trahenda hic est vox βίου, quod Petrus Memmius ex ignoratione 16 πολυσημείας ejus fecit, Comm. ad hunc locum. Ejus enim acceptionem apud Græcos quinctuplicem esse Euripidis Scholiastes in Hecubam, & Philotheus Comm. I. in Aph. Hipp. I. notavit; sextuplicem Io. Tzetzes, Comm. in Hesiodi ἔργων α. sin-

©BIU Santé

singulaſque fere vocabuli notiones exemplis uberius illuſtrarunt Paullus Leopardus, Emend. lib. XI. cap. IV. Iac. Nicolaus Loënſis, Miſcellan. Epiphill. lib. VI. cap. III. cum quibus confer CL. Caſaubonum Animadvers. ad Athenæum. lib. xv. cap. v. & Iuſtum Velſium in præf. Comm. in Tab. Cebetis, & adde ex Nicolao Damaſceno lib. καθολικῆς ἱστορίας, ſive de moribus gentium, βίον Homero etiam *arcum* ſignificare; atque etiam Heraclito, ut notat Auctor Etymologici. Sane in hoc ipſo Hippocratis ὅρκῳ vel triplicem βίᾳ acceptionem obſervare eſt. Primo enim per *βίον ἀνθρώπων, communem hominum vitam* is intelligit, qua communiter invicem vitam ducimus: at ubi jurat, ſe vitam ſuam ſancte ſervaturum; atque iterum ſub finem, ubi jurisjurandi religionem ſervanti felicē vitam imprecatur, βίον accipit τὴν ἑνὸς ἑκάστου χρόνον τῆς ζωῆς (quæ verba ſunt Tzetzis) *unius cujuſq; nempe vitæ decurſum*: hoc vero in loco βίος notat τὰς ἐντεύξεις πρὸς τὸ ζῆν τροφὰς, (ut iterum cum Tzetze loquar) ſive *ea quæ ad vitam victumque ſunt neceſſaria*. Hæc Græcis alias dicuntur τὰ ἐπιτήδεια: quæ Thucydidis Scholiaſtes lib. VI. explicat per τὰ βρώσιμα καὶ πόσιμα, ſive *eſculenta & potulenta*. Latius Dion lib. XXXIX. τὰ ἐπιτήδεια κεκτημένον ἀνάγκη, interpretatur, τὸν μήτε πεινῶ, μήτε διψῶ, ἢ ῥιγῶν, ἢ καὶ ἄλλου ἀπόνου ὑπ' ἀπορίας ὑπομένοντα. Vult nempe ei, cui τὰ ἐπιτήδεια adſatim adſint, *neque famem propter penuriam, neque ſitim, neque frigus, nec aliud quidquam incommodi pertimeſcendum*. Dicuntur & τὰ πρὸς τὸν βίον, aut κατὰ τὸν βίον, & καθ' ἡμέραν. Ita Euripides Electra, βίον καθ' ἡμέραν, vocat *victum quotidianum*. Lucianus ἄνδρας ἀβίους, *viros egenos atque inopes*; quos Herodotus in vita Homeri ἀπόρους, *rebus ad victum neceſſariis deſtitutos* dixerat. Exmpla alia hujus ſignificati habet Tiraquellus de Nobil. cap. XXXI. num. CCCLXVII. & Æmilius Portus Lexico Ionico. Error itaque eſt Petri Memmii, cujus mentionem modo feci, per βίον non victum, ſed vitam ſimpliciter intelligere velle; quaſi & hanc, ſi neceſſitas poſtulaverit, in præceptoris gratiam

17

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 97 sur 248

©BIU Santé

discipulus profundere teneatur. Quanquam enim discipuli gratitudo tam late pateat, ut ad mortis etiam periculum pro præceptore subeundum extendi possit, tamen expresse id Hippocrates non adfirmat, nec commode eo verba textus detorqueri possunt. Nam quæ ad victum pertinent, recte quidem κοινωνεῖσθαι seu *communicari* possunt, & dicuntur; quod verba volunt: at vita profundi quidem pro alio, non vero eidem communicari recte dicetur. Porro χρεῶν χρηίζειν, hoc in loco
18 est ἔνδειαν ἔχειν, sive *indigere*. Χρεία enim, χρέος & χρέω idem sunt, & ἔνδειαν significant Hesychio. Ἔνδεια vero eidem est πενία, πλωχεία, *paupertas*: & ἔνδειαν ἔχειν, idem quod χρείαν ἔχειν. Χρηίζοντα quoque idem interpretatur ἐνδεόμενα, & χρεώδη, χρείαν ἔχοντα. Χρείας vero παρέχειν, est *necessaria suppeditare*, in ψηφισμαΐῳ
19 Deliorum, quod est inter marmora Arondeliana, à Io. Seldeno publicata. Vnde & Clarissimus ICtus. Melchior Goldastus, Paradoxo de honore Medicorum, num. VI. id quod de Medico est apud Siracidem, Ecclesiast. cap. XXXIIX, quo is jubet eum honorari πρὸς τὴν χρείαν αὐτοῦ, contra, quam hactenus non pauci alij explicarunt, idem esse vult, ac si diceretur, *pro necessitate ejus*, sive *ut necessitas ejus postulat*, atque *opus habet Medico*, aut *indiget*: quo sensu Cicero lib. XIX. ad famil. Epist. IX. ad Tironem Libertum scribit: *Curioni misi, ut Medico honos haberetur, & sibi daret, quod opus esset*. Sed vide si lubet, Goldas-
20 tum ipsum. De formula loquutionis, qua Hippocrates hic
21 utitur, dum ait χρεῶν χρηίζειν, supra diximus cap. III. At μεταδόσιν ποιεῖσθαι, est *impertiri* & *communicare*, atque idem quod κοινώσειν: & μετάδοσις, κοινωνία· *communicatio, participatio*, ut explicant Excerpta Scaligeri, non semel laudata. Quemadmodum enim Hippocrates præceptores vult honorari, & de victu iis prospici; ita si aliis quoque rebus indigeant, illis subveniendum censet, paupertatemque ipsorum pro facultate & viribus
22 sublevandam. Hoc Crito Atheniensis Socrati, cui in disciplinam se dederat, præstitit, ac nunquam ei quidquam ἐκ τῶν δεόντων,

hoc

©BIU Santé

hoc eſt, *ex iis quæ ad uſum ſunt neceſſaria*, deeſſe paſſus eſt, ut refert Laërtius lib. II. in Socr. & in Crit. Hoc C. Plinius Secundus præſtitit Fabio Quinctiliano, quem lib. II. Epiſt. XIV. præceptorem nominat; ejuſque filiæ, ut honeſtius, & ſecundum conditiones Nonij Celeris, cui deſtinata erat, elocaretur, I CIↃ. nummum in dotem obtulit, Plinio ipſo id atteſtante lib. VI. Epiſt. XXXII. Et Lucius Apuleius, quanquam non valde opulentus, tamen ſi Apologiæ ejus credimus, libere & animoſe in judicum conſeſſu, & auditorum frequentia, dicere non veretur: *Et amicorum pleriſque opem tuli, & magiſtris plurimis gratiam retuli, quorundam etiam filias dote auxi*: & addit rationem; *neque enim dubitaſſem equidem vel univerſum patrimonium impendere, ut adquirerem mihi quod majus eſt, contemptum patrimonij.*

CAPUT DECIMUM.

Καὶ τὸ γένος τὸ ἐξ ἑωυτέου ἀδελφοῖς ἴσον ἐπιμερέειν ἄρρεσι. Καὶ διδάξειν τὴν τέχνην, ἢν χρηίζωσι μανθάνειν, ἄνευ μισθοῦ καὶ ξυγγραφῆς.]

SUMMARIA.

1. *Ingratitudinis vitium.* 2. *gratitudo Hippocratis.* 3. *Ariſtotelis.* 4. *Præceptorum liberis quare benefaciendum?* 5. Ἀδελφῶν ἔτυμον. 6. Ἀδελφοὶ ἄρρενες. 7. *Fratrum diſcordia.* 8. ἄρρην *Græcis quid?* 9. *quid maſculum Latinis?* 10. *Hippocratis verborum ſenſus.* 11. *Diverſa in textu lectio.* 12. *Præceptorum liberi à diſcipulis docendi ſine mercede.* 13. *Salariatus ut doceat, an* διδακτρον *exigere queat?* 14. μισθὸς & διδακτρον *differunt.* 15. *Gratis docentium præceptorum exempla.* 16. *Præceptoris pauperioris, etiam ſalariati, ratio habenda.* 17. *Præceptori & Medico non rei meritum, ſed opera locata ſolvitur.* 18. *Sponte oblata à*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 99 sur 248

©BIU Santé

discipulis recipere Præceptoribus licet. 19. *Moderatio in acceptandis præmiis.* 20. *Jacobi Silvii avaritia.* 21. *Andr. Alciati error.*

1 GRaviſſime Seneca lib. 1. de benef. cap. x. *Erunt homicidæ*, inquit, *Tyranni, adulteri, raptores, ſacrilegi, proditores; infra omnia iſta ingratus eſt, niſi quod iſta omnia ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix ullum magnum facinus accrevit:* nec falſo P. Mimus in Trochaicis ait, *complecti* eum *maledicta cuncta, qui ingratum hominem*
2 *dixerit.* Divinus noſter Senex, ut in præceptorem gratus eſſet, ſe parentis eum loco habiturum, ut in præcedentibus declaravimus, ac ſi opus haberet, de victu rebuſque neceſſariis ipſi proviſurum, dejurarat. Vt prorſus omnem ingratitudinem, ut noxium crimen, abs ſeſe procul amoveat, eadem nunc pietate poſteros etiam præceptoris, ſive ex ipſo prognatos, ſe proſequuturum ſancte promittit. *Noverat enim*, ut de ipſo filius Theſſalus Orat. ad Athenienſ. ait. *gratiam gratia remetiri, & non, veluti re aliqua empta, & ex manu in manum ſemel tradita, diſcedere.* Itaque ut præceptorem pro patre agnoſcit, ita ex ipſo prognatos in fratres adoptat; atque ut illi in indigentia ſe ſubventurum ſpondet, ita his, ne & ipſi indigeant, artem ſincere ſe edocturum, idque ſine vlla mercede, ſola grati animi in præceptorem propenſione ductus, pollicetur. Et hoc eſt, quod Petrus Aponenſis in Conciliat. ait, diff. 11. digitum in jusjurandum hoc noſtrum intendens: *Qui doctor fuerit, diſcipulos aptos ut filios diligat & pertractet: gratiſque edoceat, indigoſque abjiciat. Diſcipuli vero vice verſa, doctorem ut patrem, & adhuc amplius diligant, & exaltent, & diſcant retribuiones illi exhibendo condignas, ejuſque filios ut fratres adſtringant*
3 *dilectione.* Hoc modo, ut exemplo rem firmemus. Ariſtoteles, à parentum obitu à Proxeno Atarneo liberaliter educatus, educationis memor, Proxeni filium Nicanota οὐ μόνον, ut Ammonij verbis utar, ex vita Ariſt. ἀνέτρεψε, ἐ πᾶσαν παιδείαν ἐπαί-

©BIU Santé

ἐπαίδευσεν, ἀλλὰ καὶ υἱὸν αὐτὸν ὠκειοποιήσατο: *non enutrivit ſolum, omneſque diſciplinas edocuit, ſed in filium inſuper adoptavit.* Vt vero Hippocrates pollicitatione illa ſummam animi gratitudinem in præceptorem declarat; ita eundem viciſſim ad majorem in erudiendis diſcipulis diligentiam præſtandam invitat. Maxi- 4
ma namque cura merito eſt præceptorum, ſi liberos habeant, de educatione ipſis & ſuſtentatione, quantum licet proſpicere: maximoque rurſus curarum onere levantur, & ad alia quævis expeditiſſime indaganda accenduntur, ſi de educatione & inſtitutione in diſciplinis, quarum ope vitam ſuſtentare poſſint, non proſpectum liberis tantum ſciant, ſed diſcipulos inſuper, ad hoc ſincere ac ſine mercede aut ſyngrapha præſtandum, jurisjurandi religione obligari: Nec contentus Divus Senex poſteros præceptoris fratres appellare, ſeu ἀδελφοὺς, addit vocabulum ἄῤῥενας; quod ut non ſine ratione ab ipſo factum, nemo negaverit; ita quid proprie ea voce voluerit, non ſatis hactenus interpretes expediverunt. Equidem ejus primum fui opinionis, ἀδελφοὺς ſimpliciter dictos, eſſe *uterinos fratres*, qui eadem quidem matre editi, diverſos tamen poſſint agnoſcere parentes. Auctor enim Etymologici ita dici eos notavit 5
à particula α, quæ aliquando vicem ὁμοῦ ſumitur, ut ſimul ſignificet, & à voce δελφὺς (Hippocrati δελφὴ eſt, lib. de ſteril.) qua *uterus* notatur: ut ſint quaſi ὁμόδελφοι, & ex uno eodemque utero. At ἀδελφοὺς ἄῤῥενας arctiori vinculo invicem junctos, 6
eos eſſe cenſui, quos alio nomine Græci dicunt καπυνήτας & ἀυτοκασιγνήτους. Heſychius, καπυνῆται, ἀδελφοὶ ὁ κατ' ἀμφοτέρας τοὺς γονεῖς. ἀυτοκασίγνητοι, γνήσιοι ἀδελφοὶ, ἐξ ἀμφοτέρων τῶν γονέων. Pollux αὐτοδελφοὺς dici notat, lib. III. cap. 11. Marcellinus in vita Thucydidis ὁμοπατρίους & ὁμομητρίους, ex uno eodemque germine productos, ſive matrem ſpectes, ſive patrem. Ac ſi eſſet hoc in loco ἀδελφοῖς ἴσον ὀπυιέμενον ἄῤῥενον, id quod Terentius Andria act. I. ſc. V. dicebat, *in fratris germani diligere loco.* Atque hoc etiam voluiſſe puto doctiſſimum

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 101 sur 248

©BIU Santé

Zuingerum Notis ad hunc loc. quando ait fratres intelligi ab eodem patre prognatos, artis futura columina, eoque Euripidem trahit, qui in Iphigen. in Tauris, & apud Stobæum lib. LXXV. ait:

Στύλας γὰρ οἴκων παῖδας εἶναι ἄῤῥενας,
Domus columnas esse liberos mares.

Quemadmodum autem fratribus germanis, quos natura tales creavit, idem velle convenit esse atque idem nolle, amorque mutuus & non fucatus: ita illis, qui animo inter se ac fide fratres germanos æmulantur, eodem nomine sese adinvicem jure suo meritoque adpellare licet. Recte enim Demea Terentianus, Adelph. act. v. sc. IV. ad Micionem fratrem, cui primo plane adversabatur, postquam in eandem uterque ivit sententiam, tum demum ajebat:

Nunc tamihi es germanus pariter corpore & animo.

Neque alio sensu Cicero lib. II. de Finib. ait: L. *Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus.* Prorsus simili itaque ratione heic etiam loci arbitratus sum, Hippocratem præceptoris posteros fratrum germanorum loco habiturum adfirmare, hoc est, ea fide, eo animo atque amore se prosequuturum ipsos,
7 quo fratres germani invicem solent, aut saltim debent. Nam experientia sæpe docet, nimis vere scripsisse Plutarchum lib. de fraterno amore: *sicut Aristarchus dixerit, olim vix septem fuisse sapientes, nunc vero vix totidem, qui non sapientes se putent: ita se dicere, non tam rara olim fuisse fratrum odia, quam nunc sint amicitiæ.*
8 Verum si acceptionem vocis ἄῤῥεν@ paullo pressius contemplemur, ævique Hippocratis morem; aliud omnino quid ipsum voluisse, ac fratres ἄῤῥενας proprie non *germanos*, sed *generosos masculosque* interpretandos intelligemus. Ἄῤῥην enim non tantum *marem* Græcis, seu *masculum* significat, sed *hominem virilem, strenuum, generosum* ac *fortem*. Id docuit nos jam olim Plato in Cratylo, ubi Ἄρης, seu *Martem*, dictum vult Socrates, ἀπὸ τοῦ ἄῤῥεν τι, καὶ ἀπὸ τοῦ ἀνδρεῖον, hoc est, *ab eo quod masculum*

©BIU Santé

masculum & forte est, seu virile. Hinc Epigrammatum Græc. lib. II. Antipater Thessalus Homerum vocat ἄρσενα, seu *virilem ac strenuum*. Euripides Oreste, φρένας ἄρσενας, vocat *animum fortem*; & Nonno Dionys. lib. XXXIV. χάρμη ἄρσην, est *pugna audax & fortis*. Latini, Græcos imitati, *masculum* simili 9
modo pro *forti* usurparunt, quod testis est Nonius Marcellus cap. II. Varronem citans ex Satira ὄνῳ λύρας. & explicat Martianus Capella lib. VI.

Namque ita pulverea est, & agresti robore fortis,
Iure ut putetur mascula.

Ita apud Horatium est *rusticorum mascula militum proles*, lib. III. Carm. Ode VI. *mascula bilis* apud Persium Sat. V. *mascula fides, & charitas*, apud Paullinum ad Cytherium. Ita *mascula Sappho* apud Ausonium Eidyll. VI. Neque enim eos hic audio, qui de Sappho sequius quidpiam à Poëta ibi intelligi volunt, quum alibi maxime eam laudet & *Pieridin additam* dicat *sororem*, Epigram. XXXI. Hoc insuper sensu Horatius in Arte Poët. & Apuleius lib. III. Metam. *mares animos*, & idem Horatius lib. I. Epist. I. *mares Curios & Camillos*, pro *fortibus ac strenuis* dixit; Persius per *marem strepitum fidis Latinæ*, Sat. VI. intelligit *fortem, plenum*, qualis Pindari: Comicus Pœnulo, act. V. sc. V. *mares homines* oppositi *muliebrosis*, ut vocat, & *effeminatis*. Hoc denique sensu Hippocrates ἀδελφὰς ἄρρενας hic vocat *fratres masculos*, hoc est, *viriles, fortes, strenuos, generosos*. Hoc 10
sensu idem in Præception. ἰητρὸν ἠδελφισωδέον vocat *medicum verum, perfectum*. Sed vide Theod. Zuingerum ibid. in Tabulis. Respexit autem Hippocrates ad ævi veteris morem, quo juvenes, qui virilem operam Rebuspub. navassent, strenuisque facinoribus nobilitati essent, publicis ac privatis ornabantur honoribus. Publice donabantur coronis, in conventibus, aliisque συσσιτίοις, cæteris præferebantur. Privatim vero Pater eum filium, qui tale fortitudinis publicum meruerat testimonium, etiam qui natu minor esset, alijs anteponebat; unde & tali gau-

debat

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 103 sur 248

©BIU Santé

debat prærogativa, ut proximum à patre locum capeſſeret, ipſiq; ab univerſa familia proximus à patre honor tribueretur. Et de tali fratre, ejuſdemque honore puto accipiendum illud Eccleſiaſtis, cap. x. verſ. XXIII. *In medio fratrum rector illorum in honore eſt:* ut habet vulgata verſio. Sebaſt. Caſtalio vertit: *Inter fratres, qui eis præeſt, honorabilis eſt.* Tremellius & Iunius; *Inter fratres, qui dux ipſorum eſt, honoratus eſt.* Vult itaque Hippocrates: Quicunque natus fuerit ex eo, à quo medicæ artis ſcientiam accepero, eum æquali amore atque honore proſequuturum me ſpondebo; quo amore atque honore non quilibet frater, ὁ τυχὼν, ſed illi, qui inſignem operam Reipubl. navarunt, & fortitudinis præmia reportarunt, adfici ſolent.

11 In cætero contextu videntur interpretes plerique pro ὦ quod editiones fere omnes habent, legiſſe ὧ, meliori prorſus ſenſu, quam ſi illud retineamus: quaſi dicere voluerit Hippocrates ſe præceptoris poſteros non *quam artem* illi; hoc enim præſtare non poterat: ſed *ſi artem*, quam nempe callebat, addiſcere cupierint, eidemque animum adplicarint, edoctu-

12 rum. Addit inſuper, ſe præceptoris liberos poſteroſque, ſine mercede & ſyngrapha, ἄνευ μισθοῦ καὶ συγγραφῆς, docturum. Præceptoribus enim à diſcipulis merces ſolvebatur; quod Iuvenalis innuit Sat. VII. ubi de ingratis diſcipulis ait:

Scire volunt omnes, mercedem ſolvere nemo.

Quin iiſdem, ut de mercede certiores eſſent, ſyngrapha caveri ſolitum, vel ex hoc Hippocratis loco manifeſtum fuerit. Merces ipſa Græcis antiquis à docendo proprie διδακτρον vocabatur, ut Varro habet lib. III. de re Ruſt. Recentioribus διδασκαλίκιον, ut eſt in Conſtit. Alexij Commeni, & notat Theod. Balſamon ad Concil. VI. Can XIX. Latinis *Minerval* & *Minervale*, à Minerva ſtudiorum præſide, cui olim etiam feſtum ſolenne in ſcholis celebrabatur, ut meminit Symmachus lib. V. cap. LXXXIII. Et Romæ quidem Minerval præceptoribus ſolvi ſolebat Quinquatribus, vel paullo ante: ſicut Athenis

in

in χίων festo munera mercedemque Sophistis mittebant, qui vicissim id temporis familiares hospitaliter excipiebant, ut ex Eubulide Dialectico refert Athenæus lib x cap. XII. Cæte- 13
rum quia Hippocrates præceptoris liberos posterosque sine mercede & syngrapha se docturum promittit, quæritur an idem etiam ad discipulos cæteros traduci voluerit? & an Medicus, cumprimis qui conductus sit ut doceat, & salarium habeat ex publico, à discipulis exigere præmium pro opera debeat? Quo ad primum dico, Hippocratem præceptoris tantum posteris ex grato animo gratiam illam gratificasse, de discipulis cæteris, ut ut forte mercedem non sumpsit, quum & pecuniæ fuerit contemptor, & rebus omnibus ad vitam necessarijs cumulate se frui, ipsus in Epist. ad Hystanem, Hellesponti Præfectum, testetur; tamen ne à quoquam quid sumeret, nunquam se obstrinxit. Neque etiam, si textum pressius intueamur, δίδακτρον sumere vetat, aut Minerval, à discipulis quibusdam, sed μισθὸν. Μισθὸς enim λαμβάνειν, apud Pollucem lib IV. cap. VI. est πωρεύσκειν τὰ μαθήματα, μισθάρνειν, ἀργυρολογεῖν, τὰ μαθήματα διατίθεσθαι, πωλεῖν, ἀποδιδόσθαι, ἀντικαταλλάττεσθαι πρὸς ἀργύριον, μισθῷ διδάσκειν. *Mercedes sumere, est disciplinas vendere, mercede servire, pecuniam colligere, disciplinas vendere, locare, argento permutare, mercede docere.* Quique hoc faciunt, eos idem Pollux vocat καπήλους, καπηλικοὺς, μισθολόγους, μισθάρνους; *caupones, tabernarios, propolas, mereede servientes.* Lucianus in Nigrino, eos vocat ὅτι μισθῷ φιλοσοφοῦσι, καὶ τ' ἀρετὴν ὤνιον ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς προτιθέασι, *mercede pacta Philosophantes, virtutemque venalem, tanquam de foro proponentes*: Scholas eorum nominat ἐργαστήρια, καὶ καπήλεια, *ergastula & cauponas.* Unde aliud 14
longe esse videtur μισθὸν sumere, aliud δίδακτρον; si proprie vocabulis uti velimus, quæ sæpe alias confunduntur. Quod vero Medicum concernit salariatum ex publico, & in id præstitutum ut doceat, sciendum est, sive provisionem is habeat eam ob rem, sive præbendam, ut Canonum Doctores in hoc

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 105 sur 248

©BIU Santé

paſſu loquuntur, non poſſe ipſum à diſcipulis exigere pretium, cujuſcunque etiam conſuetudinis prætextu, & *Simoniam committere*, quotiens quidpiam exigit, ut placuit Hoſtienſi, & Panormitano, cap. quia nonnullis. de Magiſtr. Maxime autem hoc ita ſe habet, ſi diſcipuli ſint pauperes & egeni. Hos enim gratis doceri, vult textus, in cap. quoniam Eccleſia Dei. de Magiſtr. & gratis veterum nonnulli docuerunt. De Da-
15 miano Sophiſta enim auctor eſt Philoſtratus in vitis ſophiſt. quod egenis mercedem dimiſerit, ne pecuniaria inopia bona ingenia laterent. Taberij quoque Hieræ Grammatici ex Suetonij libro de Illuſt. Grammat. nota eſt honeſtas, qui Syllanis temporibus proſcriptorum liberos gratis, & ſine mercede ulla, in diſciplinam recepit. Neque alio aliquando animo fuit Iſocrates. Demoſthenes enim, quum pauperior eſſet, quam ut cIↃ drachmas ſolveret, quantis Iſocrates docebat, cc ipſi obtulit, rogans ut quinctam ſaltim partem ſe doceret. At Iſocrates, ὦ πραγίζομεν, inquit, τὴν πραγματείαν. ὥσπερ οὖν τοὺς καλοὺς ἰχθῦς ὅλους πωλοῦμεν, οὕτω καγώ σοι, εἰ βούλοιο μαθητὴς εἶναι, ὁλόκληρον ἀποδώσομαι τὴν τέχνην. *Non in partes diſſecamus diſciplinam, ô Demoſthenes; ſed eorum more, qui bonos piſces integros vendunt, agimus: tibi, ſi diſcere animus eſt, totam traditurî artem.* De diſcipulis aliis vero ac ditioribus id ita demum obtinet, ſi proviſio, ut loquuntur, talis ſit, ut reditus docenti ad ſuſtentationem honeſtam ſint ſufficientes, atque *ejus neceſſitas*, ut eſt in textu adducto, *relevetur*. Atque hanc Hippocratis etiam men-
16 tem fuiſſe liquido patet. Tamenetſi enim artes ad quæſtum transferri nolit, atque *ab iis, qui mercede operam ſuam locant, ſcientias liberas in ſervitutem captivas duci*, in Epiſt. ad S. P. Q. Abderit. dicat: tamen ſecus res habet, ſi pauperior ſit docens, nec proventus habeat ſufficienter adſignatos. Talis enim, qui ſit, ei, utpote χρεῶν χρηίζοντι & neceſſarijs rebus indigenti, ut paullo ante loquebatur, ſe quovis modo ſubventurum jurejurando adfirmare non dubitat Hippocrates, ejuſdemque neceſſitatem eſſe

©BIU Santé

esse sublevandam, etiam Canon ait, in d. cap. quia non nullis. Ita Zeno olim quum fecisset vasculo cavum operculum, circumferebat pecuniam, ut Crates præceptor haberet promptum ac paratum necessarium victum, ut est apud Laërtium lib. VII. in vita Zenonis. Ita Masurium Sabinum ICtum, quod tenues facultates haberet, ab Auditoribus fuisse sustentatum, notat Andr. Alciatus Parerg. lib. IX. cap. IX. Neque hoc est *vendere scientiam invendibilem*, sed *locare operas suas*, ut ait Lex 11. de orig. Iuris. Quare etiam præceptori, 17
qua præceptor est, non secus ac Medico, qua Medicus, non rei quam communicant, sed operæ, quam locant, pretium solvitur. *Salus* enim *hominis nullo beneficio pensatur*, inquit Amm. Marcellinus lib. XIV. & *doctrina pretio nummario æstimari non potest*, ut de civili sapientia dicebat Ulpianus, L. I. §. V. d. de extraord. cognit. Et eleganter Seneca lib. VI. de benef. cap. XXXIV. *Emis*, inquit, *à Medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: à bonarum artium præceptore studia liberalia, & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ solvitur, quod deserviunt; quod à rebus suis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, sed occupationis suæ ferunt.* Præterea possunt Doctores 18
sponte oblata recipere à discipulis, eaque ratione aliquando à gratis discipulis plus ferunt, quam si de mercede cum iisdem fuerint pacti. Id obtigisse M. Antonio Gnifoni meminit Suetonius, lib. de illustr. Grammat. cap. VII. de quo ait, quod fuerit erga discipulos *comi facilique natura, nec unquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consequutus.* Sunt enim quædam, quæ *licet inhoneste petantur, honeste tamen accipiuntur*, ait Ictus, in L. I. §. & quidem res. D. de var. & extraord. cognit. Observanda igitur & Medicis unice est moderatio illa, 19
quam Prudentibus & Advocatis ex publico, ut moris olim erat, salariatis, in acceptandis xeniis & donativis à clientibus præscripserunt Severus & Antoninus Impp. Verba rescripti in L. VI. §. VI. D. de offic. Procons. & Legati, sunt ista: *Quantum*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 107 sur 248

©BIU Santé

ad Xenia pertinet, audi quid ſentimus, Vetus eſt proverbium ὅτι πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι ϖαρὰ πάντων. *neque omnia, neque ſemper, neque ab omnibus; Nam valde inhumanum eſt à nemine accipere: ſed paſſim*
20 *viliſſimum eſt, & omnia avariſſimum*. Quæ ſi penitius aliquanto in animum demiſiſſet Iacobus Silvius, Vir cætera magnæ eruditionis, & Medicinæ, ſub renaſcentes ævo ſuperiore litteras, inſtaurator non è vulgo, non tam male apud omnes audiviſſet. Collatitia enim merces, quam è lectionibus privatis paullo exigebat ſordidius, gravem ipſi inuſſit avaritiæ notam. Nec defuerunt ex auditorum numero, qui inter funeris exequias hoſce Buchanani iocoſos in eum verſiculos, ipſis templi valvis, quantumvis non pio in præceptorem exemplo, adfigerent:

Silvius hic ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquam,
Mortuus &, gratis quod legis iſta, dolet.

21 Teſtis eſt Scævola Sammarthanus Elogior lib. 1. Ante vero, quam hinc abeamus, notanda nobis venit inſignis hallucinatio Andreæ Alciati, lcti alias doctiſſimi, quam is ex Hippocratis hoc loco hauſit, & erravit, Comm. ad L. Sanum mente. XXVII. D. de tranſact. num IV. & V. Poſtquam enim contractum ægroti cum Medico, officio Iudicis reſcindendum dixerat, addit: *Putarim autem Medicum quoque ipſum, ceu periurum puniri poſſe, cum in tirocinio artis, ex formula juramenti Hippocratis, bi jurent,* (nempe medici) *abſque mercede & ullis pactionibus infirmis ſe curam adhibituros.* De pactione quidem Medici cum ægroto, res eſt in controverſia, & nos alibi de ea rem expedivimus. De cætero, omnes appello, qui vel à limine Græcas litteras ſalutarunt, & Hippocratis jusjurandum obiter inſpexerunt, an is tale quid vel ſomniarit. De diſcipulis enim ſaltim gratis inſtituendis ille agit, neque eos omnes ſine mercede & pactione artem docendos ſtatuit, ſed præceptorum tantum liberos in grati animi conteſtationem, & meritorum compenſationem. Infirmos vero ſine mercede & pactione curandos, & medi-

©BIU Santé

medicum, qui contra fecerit, perjurum fieri; hoc illud eſt quod, tantum abeſt ut litteris hic conſignarit Hippocrates, ut nec in mentem quidem ipſi venerit. Nec per conſequentiam etiam id inde elici poſſe quiſquam judicabit, niſi cui pepo pro capite obtigerit, aut mens laboret. Sed mitto hæc Εὔηθες γὰρ τὸ τὰς εὐηθίας τῶν λόγων λίαν ἐξετάζειν, dicebat Philoſophus lib III. de part. anim. cap. III.

CAPUT UNDECIMUM.

Παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος, καὶ τῆς λοιπῆς μαθήσιος μεταδόσιν ποιήσασθαι.]

SUMMARIA.

1. *Lectio Hippocratis vulgatior aſſerta.* 2. παραγγελία. 3. ἀκρόασις. 4. *Priſcorum mos excerpendi & colligendi.* 5. ἐκλογαὶ, παρεκβολαὶ, *excerpta.* 6. *Scriptorum genus priſcis duplex.* 7. *Ariſtotelis exoterica & acroamatica.* 8. ἐξωτερικὰ *unde dicta?* 9. ἐγκύκλια. 10. *Valablus, Montecatinus, Ramus, notati.* 11. *Sermones Pythagoricorum* μυστικοὶ. 12. *Democriti* χρονοσφαῖρα. 13. *Heraclitι opus* περὶ φύσεως. 14. *Darii ad Heraclitum Epiſtola.* 15. *Platonis ſcriptorum differentia.* 16. *& Pythagoræorum.* 17. *& Hippocratis.* 18. *Epidemiorum & Aphoriſmorum Hippocratis collatio.* 19. *quid* παραγγελία *& ἀκρόασις Hippocrati.* 20. *quid per* λοιπὴν ἀπάσην μαθησιν *velit.* 21. *Hippocrates ex Ariſtotele explicatus.* 22. *& Galeno.* 23. *Senſus verborum Hippocratis.*

PRo παραγγελίης Zuingerus hoc loco apud ſe legi notat παρακλήσιος, quæ vox *hortationem* ſignificat. Prius tamen vocabulum potius retinendum, ex iis quæ mox dicemus, manifeſtum erit. Eſt autem παραγγελία à παραγγέλλειν, quod inter cætera *monere* ſignificat, 1 2

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 109 sur 248

©BIU Santé

ut παγγελία *monitum* ſit, aut *præceptum*. qua notione etiam παγγελμα, quod idem eſt cum παγγελίᾳ, ab Iſocrate in Orat. ad Demonic. uſurpatur, & ab Hippocrate ipſo, lib. de Medico. Suidas in παγγελμα, προτροπὴ vocat, *præceptum*.

3 Ἀκρόασις vero *auſcultatio* eſt Latinis, & de diſcipulis potiſſimum dicitur, qui Præceptores docentes auſcultant : quemadmodum ἀκροάσιν ποιεῖσθαι, Hippocrati in Præcept. eſt, *de re aliqua coram auditoribus diſceptare*. Vult igitur hoc dicere Hippocrates, ſe diſcipulos ſuos participes facturum tum præceptionum medicarum, tum auſcultationum, atque adeo artis univerſæ. Vt vero plenius intelligatur, quid in arte per *præceptiones*, & *auſcultationes*, proprie ſibi velit, res paullo altius fuerit

4 arceſſenda. Sane ab omni pene ævo priſcis in more poſitum fuit,

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,

omnia ſic itidem hinc inde decerpere, reſque plurimas, atque omnis generis colligere, ut notat Ioan. Heurnius in princ. Comm. ad Aph. Hipp. & Marſ. Cagnatus Var. Lect. lib. II. cap VII. Id vero proprie ἐκλέγειν dicebant, ut docet Guil. Bu-

5 dæus in Comm. Græcæ Linguæ, in ἐκλέγω. Collectanea ipſa ἐκλογὰς adpellabant : Plinio Iuniori lib. III. Epiſt. v. ſunt *Electa*. Auctor vitæ Thucydidis σημειώσεις videtur nominare : Breviator Athenæi παρεκβολὰς. Seneca Epiſt. XXXIII. dixit *Excerpta*. Eadem porro Collectanea, qui collegerant, per ocium ſolebant digerere, ſingulaque in ſuum locum, & congenerem referre materiam, deque ipſis judicare, ac tandem diſcipulis tradere, aut in publicum emittere. Ut autem in Collectaneis iſtis alia erant ſui natura vulgaria, alia ſublimiora : ita illa etiam minus curioſe tractabantur, hæc adcuratius elabora-

6 bantur, ac certius determinabantur. Unde duplex paſſim apud auctores priſcos invenire eſt ſcriptionum genus, rerum tractandarum humilitate ac ſublimitate, tractandique modo, immane quantum, diſcrepans. In priori genere vulgata tantum, obvia

& uſi-

©BIU Santé

& uſitata, atque hinc inde collecta & excerpta pertractantur, neque id admodum accurate, ſed παχυλῶς, atque ὡς ἐν τύπῳ, quod Philoſophus dicere ſolebat, ut diſcentibus tantum & tironibus adnotata aut edita videantur. In cætero genere minime protrita, certo definita & recondita, atque ſubtilia magis, ſumma cum adcuratione tradebantur, eaque vulgo abſtruſa, & ſolis doctioribus reſervata. Hoc modo Ariſtoteles, ut eſt apud Agellium, Noct. Attic. lib. xx. cap. IV. ſcriptorum, quæ diſcipulis tradebat, duas habuit ſpecies. *Alia erant*, inquit Agellius, *quæ ἐξοτερικὰ, alia quæ ἀκροαματικὰ appellabat.* Ἐξοτερικὰ *dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant:* Ἀκροαματικὰ *autem vocabantur, in quibus Philoſophia remotior ſubtiliorque agitabatur, quæq; ad naturæ contemplationes, diſceptationeſque dialecticas pertinebant. Et Acroamaticùs quidem*, ita pergit Agellius, *tempus dabat matutinum, nec ad ea quenquam temere admittebat, niſi quorum ante ingenium & eruditionis elementa, atque in diſcendo ſtudium laboremque exploraſſet: Exoterica veſperi tradebat, eaque vulgo juvenibus dabat ſine delectu.* Hinc Plutarchus, in Alexandro, Acroamatica τὰς ἀποῤῥήτους & βαθυτέρας διδασκαλίας, ſive *ſecretiores & profundiores diſciplinas* vocat, atque alio nomine ἐποπτικὰ dici notat, quaſi *minime protrita, recondita*, non niſi à paucis viſa, & quæ non efferebantur in vulgus, ſed ſolis μεμυημένοις ſeu *initiatis* & γνησίοις ἀκροατῆς communicabantur. Simplicius, lib. I. de Cœlo, vocat ἀπεδαιότερα, ſive *adcuratius conſcripta*. At ἐξωτερικὰ Cicero lib. V. de Finib. *populariter ſcripta* interpretatur; Clemens Alexandrinus Strom. lib. V. κοινὰ vocat, & opponit ipſis ἐσωτερικὰ. Vnde P. Moſellanus, Comm. ad Agellium, dici ea vult, quaſi *præter auditum nota*, & citra auſcultationem perceptibilia, voce à particula ἐξ & ὠτὸς τὸ ὦτα deducta. Themiſtius lib. IV. Phyſic. de tempore agens, τοὺς ἔξωθεν λόγους vocavit. Neque enim audiendus Ioan. Sepulveda, Notis ad Ariſt. lib. VII. Polit. cap. I. qui τὰ ἐξωτερικὸν interpretatur, *aliud*, aitque Ariſtotelem, quando

7

8

libros

©BIU Santé

libros citat ἐξωτερικὰς, intelligere *libros à re præsenti alios*, sive *alia de re scripios*, quam de qua ibi agit. Contra eum vide doctissimum Obertum Giphanium, Comm. ad Arist. Polit.
9 lib. VII. cap. 1. Alio nomine dicebantur ἐγκύκλια sive *vulgata*: quod, docente Suida, & Auctore Etymologici, ἐγκύκλιον sit, τὸ ἁπανταχοῦ καθολικὸν, *prorsus universale*, sive *passim obvium*: aut ut Simplicius lib. 1. de Cœlo, explicat, τὸ πολλοῖς προϊέμενον, quod *multis*, hoc est, *communiter & in vulgus proponitur*. Hinc Aristot. Oeconom. lib. II. in princ. ait, fructus Politicæ præstantissimos esse ex ijs, quæ fert proprietas cujusque regionis, mercatura, ludis, & demum ἀπὸ τῶν ἐγκυκλίων, hoc est, *ex rebus cotidianis & communibus*, ut recte transtulit Germaniæ ille Phœnix, Ioachimus Camerarius. Et idem Aristoteles lib. 1. Meteor. cap 1 acturum se ait de fulminum casu, vorticibus, accensis turbinibus, & περὶ τῶν ἄλλων ἐγκυκλίων, hoc est, *de cæterâ, quæ communiter accidunt*. Ita enim vertendum omnino censeo, non *de circularibus*, ut contra apertam Philosophi sententiam
10 vertit Franc. Vatablus. Nec minus male Petrus Victorius, Hug. Montecatinus, & Petrus Ramus, apud Aristotelem lib. 1. Polit. cap cap VII. τὰ ἐγκύκλια διατειχίσματα, verterunt *circularia munia*, & *in orbem redeuntia*: quæ rectius Perionius *munia sordida & vulgaria*; Dionys. Lambinus *usitata & vulgaria*; Sepulveda *vulgaria ministeria*, interpretati fuere. Eadem exoterica Aristoteles lib. de arte Poët. vocat λόγους ἐκδεδομένους, *sermones vulgatos*. Philoponus Comm. in Arist. lib. 1. de an. & IV. Physic. exoterica ait, ἃ πρὸς τὰς γνησίους ἀκροατὰς, ἀλλ' εἰς τὸ κοινὸν, καὶ τὸ τῶν πολλῶν ὠφέλιμα, *non ad legitimos auditores, sed ad communem multorumque utilitatem* scripta esse. Simplicius in procem. Phys. eadem ait, non ἄκρας ἀκριβείας φροντίζειν, ut acroamatica; & l. IV. Phys. dicit esse κοινὰ, καὶ οὐ δοξῶν παραύδια, ἀλλὰ μὴ ἀποδεικτικὰ, μηδ' ἀκροαματικά. Proclus quo-
11 que lib v. Comm. in Parmenidem Plat. à Pythagoricis sermones quosdam ait vocari μυστικὰς, sive *secretos* (acroamaticos intelli-

©BIU Santé

intelligimus,) alios *exotericos*: quorum illos Zeno ἀληθεῖς, seu *veros*; hos χρηώδεις, sive *usuales* vocarit. Quam vero rationem in scriptis suis observavit Aristoteles, eandem & antiquiorum Aristotele, & recentiorũ plerique, non minus fuere amplexi. Nam & aliquot ante ipsum seculis Democritus, quem Hippo- 12
crates noster in Epist. ἄριστόν τε φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτὴν, *præstantissimum naturæ & mundi interpretem*, compellat, eundem in scribendo morem servasse videtur, atque iccirco post multas animadversiones, alijs abs se editis libris adjecit, quem τῶν χρονονήτων, sive *Electorum* vocavit, in quo non, ut in cæteris, communia & vernacula, sed sublimia, certoque definita, & determinata pertractaret. Quod opus, licet ad nostram memoriam non pervenerit, à se tamen visum lectumque meminit Victruvius, Architect. lib. IX. cap. III. ad quem vide Bernardinum Baldum lib. de verbor. Victruvianor. significat. & nos in Vitis Medicorum, in Democrito. Atque huic simile 13
fuisse autumo Heraclìti Ephesij opus, περὶ φύσεως, cujus ἀκρόασιν Darius Persarum Rex desideravit, ut ex ejus Epistola videre est, cujus verba quia ad hunc locum non parum faciunt subjiciemus. *Edidisti*, inquit, *sermones de natura conscriptos, intellectu* 14
& interpretatu difficiles. Adeo, ut etiam qui multum in Græcis literis profecerunt, & plurimum in meteororum consideratione studij & diligentiæ posuerunt, tractatum illum non percipiant, qui tamen solidis rationibus à te conscriptus est. Rex igitur Darius, Hystaspis filius, te audire & secundum rationem à te informari cupit. Velociter ergo in conspectum meum & aulam regiam perveni as. Hactenus Darius de Heraclito. Neque alium morem in scribendo ob- 15
servavit Plato, si Galeno credimus, lib. de facult natur. in princ. ubi alia ipsum vulgari modo ait tradidisse, alia ὀλιγίστοις ἀκροαταῖς καταληπτὰ ἐπιστημονικοῖς λόγοις δυναμένοις, sive, *paucissimis auditoribus, scientificos sermones assequi valentibus.* De 16
Pythagoræis idem testatur Clemens Alexandrinus, Strom. lib. v. vocatque discipulos ipsorum alios ἀκουσματικὰς, alios

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 113 sur 248

©BIU Santé

μαθηματικὸς: quorum illos Jamblichus ait esse, *qui simpliciter audita credebant*, hos vero, *qui ad secretiorem doctrinam admissi, rationes simul rerum edocebantur.* Hipparchum vero Pythagoræum, quod Pythagoræ quædam paullo explicatius tradidisset, accusatum Scholaque ejectum narrat idem Clemens.

17 Quod si divini Senis nostri monumenta contueamur, idem in ijs advertemus. Scripsit hic quoque non eodem semper stylo, nec omnia ubique eadem cura, neque omnibus sine discrimine & delectu. Discentibus quippe quæ edidit, stylo descripsit explicato & fuso, atque ad doctrinæ perspicuitatem maxime apto, cujus generis sunt *libri de arte, de veteri medicina*, complures; alij. At quæ doctis & doctrina provectioribus scripsit, stylo brevi, & per summa quasi capita memoriæ caussa complexus est, ut sunt *Aphorismi, Coacæ prænotiones, Prognostica, li-*

18 *bri de Alimento, de Humoribus, Epidemiorum*. Quanquam in his vicissim, si recte advertas, non levis videatur esse differentia, ut clarius meridiana luce illi manifestum erit, qui *Epidemiorum* & *Aphorismorum* libros inter se contulerit. *In illis enim*, ut loquitur hac in re Marsilius Cagnatus, & Heurnius locis citatis, *præter cotidianas rerum observationes, nonnullasque rationes nondum digestas, nondum constitutas ac definitas, nihil fere notabat; in his vero, quos jam senior conscripsit, mature excogitatas, certas ac determinatas sententias colligebat*: sive, ut Duretus ait, Annotat. ad Holler. lib. 1. de morb. int. cap. XLII, *in illis theoremata sunt particularia, quæ particulariter etiam ibi proferuntur; in his*

19 *omnia prolata sunt per simplicem emanationem*. Ex quibus omnibus facile nunc fuerit colligere, quid Hippocrati sit ἀγγελία, quid ἀκρόασις. Per ἀγγελίας ea nempe intelligit scripta, quæ Aristoteles vocasset *exoterica*, & tironibus satis esse poterant: per ἀκρόασιν vero, quæ Aristoteli *acroamatica* dice-

20 rentur, & magis in arte versatis reservabantur. At per λοιπὴν ἀπάσην μάθησιν, seu *reliquam disciplinam totam*, recte Zuingerus & Heurnius heic loci intelligunt *exempla singularia, atque in ijs exerci-*

©BIU Santé

exercitationem, quæ ἐγχειρήσει constat, in qua merito potiſſimum totius artis momentum collocamus. Recte enim Philoſophus 21
lib. 1. Metaphyſ. cap 1. *Siquis*, inquit, *univerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt, ignoret, ſæpenumero errabit à ſanando. Id enim magis ſanabile eſt, quam ſingulare. Siquidem non hominem* (paullo ante dixerat) *niſi per accidens ſanat, qui medetur, ſed Calliam aut Socratem, aut alium quempiam, qui ſic dicuntur, cui accidit homini eſſe.* Et diſertius Galenus lib. IX. Meth. 22
Med. cap. IX. *Pro comperto habemus*, inquit, *non licere ullius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per univerſalia vocata theoremata, & in particularibus exemplis te exercueris: quum neque fieri poſſit, ut ſine multiplici in ægris exercitatione quod ex uſu ſit facias, nec ſine univerſalium cognitione probe exercitatio procedat. Quippe quod in univerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtat.* Et lib. II. de loc. adf cap. IX. *Sola methodi cognitio, abſque multimoda circa ipſam exercitatione, perfectos reddere diſcipulos nequit.* Senſus itaque verborum Hippocratis eſt: Se 23
tum παραγγελίας, ſive *præceptionum generalium*, tum ἀκροάσεως, ſive *accuratioris doctrinæ*, tum *exercitationis in particularibus*, atque adeo *totius artis* copiam diſcipulis ſuis facturum, & μεταδοσιν πιήσεως, ac ſincere omnia traditurum. Hoc Iſocrates, ut paullo ante monebamus, πάντων ὁμόκληρον ἀποδῶναι dixit, Ammonius in vita Ariſtot. πᾶσαν παιδείαν παιδεῦσαι, nec quidquam quod in rem faciat, invidioſe celare. Confer Anutium Foëſium in Oecon. Hippocratis, Guil. Budæum in Comm. linguæ Græcæ, Octavianum Ferrarium lib. de ſermon. Exotericis, Franc. Patricium Diſcuſſ. Peripatet. Tomo I. lib. VI. & præ cæteris τὸν Salmaſium, Notis ad Simplicij Comm. in Enchirid. Epicteti.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 115 sur 248

©BIU Santé

CAPVT DVODECIMVM.

Τ' ἰοῖσί τε ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι ἔμ' ἐμὲ διδάξαι θ', καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε καὶ ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ. ἄλλῳ δὲ οὐδενί.

SUMMARIA.

1. *Discipulorum Hippocratis differentia.* 2. *Medicinæ per Asclepiadas propagatio.* 3. ἰατρῶν παῖδες. 4. *Medicus ex Paonis familia.* 5. *Discipuli* συγγεγραμμένοι. 6. ὡρκισμένοι. 7. Νόμος *vocabulum* πολύσημον. 8. *Vocabuli Legis acceptio apud Plautum.* 9. *Discipulorum Hippocratis duplex juramentum.* 10. *Hippocrates non quosvis docere voluit.* 11. *Invidia è Medicina farcillanda.* 12. *Hippocrates invidiæ expers.* 13. *Res sacræ profanis non revelandæ.* 14. *Orgia & mysteria quid?* 15. *Artium solis initiatis tradendarum mos.* 16. *Mos Armeniorum.* 17. *Chaldæorum.* 18. *Hebræorum.* 19. *Druidarum.* 20. *Pythagoræorum & Platonicorum.* 21. *Brachmanum.* 22. *Liber clausus & apertus Doctorandorum.* 23. *Initiati, non initiati.* 24. *Hippocrati Lux à Villanovano.* 25. *Tralliano.* 26. *Medicinæ præcepta & remedia male vulgo revelantur.* 27. *& cum ægrotorum periculo.* 28. *Iuris Civilis translatio Germanica improbata.* 29. *Hippocrates vernacula sibi scripsit lingua, nec tamen omnibus, sed doctis.* 30. *Nec intelligitur nisi ex se ipso, & à Lectore in arte exercitato.* 31. *Caussa erroris Commentorum in Hippocratem.* 32. *Etiam Galeni ipsius.* 33. *Cratonis sententia.* 34. *Medicorum quorundam supinitas, & hinc pœnitentia aut pœna.* 35. *Nec Galenus omnibus scripsit, quæ edidit.* 36. *Nec ex Arabibus quidam, ut Haly Abbas.* 37. *& Averrhoes.* 38. *Rhasis sententia de aptis ad Medicinam.*

1 Vidimus ea, quorum se copiam Hippocrates discipulis facturum promisit. Nunc porro quinam hi sint, paullo pressius explanat. Primo igitur loco suos, secundo præceptoris filios ponit, tertio discipulos cæteros, artis mysteriis initiatos. De Præceptoris liberis, & grati-

©BIU Santé

gratitudine Hippocratis, in ejuſdem poſteros, quantum ſat erat, paullo ante diximus; de deſcipulis initiatis mox quædam addemus. Filiis autem propriis merito primum locum defert, ſive ſanguinis propinquitatem ſpectes, & naturalem in eos propenſionem, ſive inveteratam Aſclepiadarum conſuetudinem. A primo enim Æſculapio, ut ex Galeno diſcimus, lib. 2
11. exercit. Anat. cap. 1, qui princeps medicam artem diſcipulos ſuos edocuit, ars eadem, inſtar poſſeſſionis divinæ, atque à Deo conceſſæ, quaſi per manus à parentibus τοῖς ἐκγόνοις potiſſimum, ſive liberis, aut ex eadem familia agnatis, velut hæreditario jure contradebatur, ut ipſa, tanquam communi ſymbolo uterentur, ut Ariſtides, apud Pindari Scholiaſten in Nemeis, loquitur. Atque ea ratione factum eſt, ut artis Medicæ ſtudium in una Aſclepiadarum familia per annos plus mille floruerit, liberis ſemper parentum veſtigiis inſiſtentibus, & avitæ artis poſſeſſionem conſervantibus. Eadem ratione 3
factum, ut qui medicinam hominibus facerent, ἰατρῶν παῖδες, *medicorum filij* dicerentur, Medicique multi vel propterea magni fierent, quod ex Aſclepiadis ortum ducerent. Quod quidem in aliis etiam familiis legimus obſervatum. Nam & Ho- 4
merus ideo Medicum quemvis mortalibus aliis peritiorem cenſet, quod *ex Pæonis* ſit *familia*, quem Deorum Medicum finxerat vetuſtas. Verſus in hanc rem ſunt Odyſſ. δ.

Ἰητρὸς γὰρ ἕκας᾽ ἀνὴρ ἀπιτάμνεσθαι ὀϊστῶν
Ἀνθρώπων. ἦ γὰρ Παιήονός ἐστι γενέθλης.
Vir Medicus multa ante alios virtute coruſcat
Mortales: quianam genus ipſo à Pæone ducit.

quos eoſdem verſus Anonymus Epigr. Græc. lib. 1. eodem ſenſu de Nicandro uſurpavit. Ex quo vero Aſclepiadæ artem cum aliis communicare cœperunt, ejuſdem hæreditate ipſos paullatim excidiſſe fatetur Galenus. Vt opinari libeat cum ornamento amiſſo fortunam etiam familiæ poſtmodum exſtinctam. Qui vero ſint μαθηταὶ συγγεγραμμένοι ſeu *diſcipuli con-* 5

 ſcripti,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 117 sur 248

©BIU Santé

scripti, si ad verbum Latine dicere velis, Hippocrates ipse insinuat, dum eos coniungit cum τοῖς ὡρκισμένοις νόμῳ ἰητρικῷ, hoc est, *medico jurejurando obstrictis*. Sunt nempe illi, qui medicinæ nomina dederunt, juramentoque præstito inter artis cultores fuerunt adscripti. Ita Plutarcho in Romulo, Pyrrho, Quæstion. Rom. atque alibi πατέρες συγγεγραμμένοι, quos Latini *Patres* vocabant *conscriptos*, sunt qui in ordinem senatorium apud
6 Romanos erant allecti adscriptique. Ὡρκισμένους autem νόμῳ
7 ἰητρικῷ interpretatus sum, *qui in legem medicam jurarint*. Νόμος enim vocabulum πολύσημον est, & non tantum *legem* notat à magistratu latam, sed *præceptum* aliquando, sive *rationem* secundum quam aliquid fit. Ita νόμος διαθήσιος apud Hippocratem in Mochlico, *præceptum* est, sive *ratio deligandi*. Apud Oppianum Cyneget. lib. III. vers. CLI. notat *consuetudinem*. Ægyptiis Νόμοι, si Diodoro Siculo credimus Biblioth. lib. I. cap. LXXIII, *certæ regionis* sunt *partes*, quarum singulis *Nomarcha* præest, sive *gubernator* aut *prætor*. Aliquando pro *modo Musico* accipitur, qualis apud Aristotelem sect. XIX. problem. XXXVII. est νόμος ὀρθὸς & ὀξὺς, *modus acutus* & *gravis*, de qua vocis significatione vide quæ prolixe & erudite disputat Ioan. Seldenus I C. Notis historicis ad Epochas Græcorum, in Commentario ad Marmora Arondeliana. Significationes alias videre est apud Auctorem Etymologici, Suidam, Foësium in Oecon. Hipp. Io. Gorrhæum in Definit. & Matth. Martinium in lexico Etymol. At hoc in loco Hippocrati
8 νόμος sumitur pro *conditione*, in quam aliquid promittitur, quo sensu etiam apud Latinos vocabulum *lex* usurpari solere, testem do Plautum in Asinar. act. I. sc. III. ubi ait:

Habeo unde istuc quod poscis dem: sed in leges meas
Dabo, ut scire possis, perpetuum annum hunc mihi ut serviat.

& ibid. act. IV. sc. I.

Age istum ostende, quem conscripsti syngraphum,
Inter me, & amicam, & lenam: leges pellege.

Ibi

©BIU Santé

Ibi utrobique *leges* ſunt *conditiones & pacta, in ſyngrapho comprehenſa.* Ex Hippocratis autem his verbis recte colligit doctiſſi- 9
mus Zuingerus, duplici juramento diſcipulos artis olim conſtringi ſolitos, quod ab initio etiam monuimus. De primo hic loquitur Hippocrates, quod ſtatim ab initio tirones præſtabant, quando nomina ſua apud Præceptorem, aut Scribam medicum profeſſi, interveniente juramento in numerum diſcipulorum recipiebantur, & συγγεγραμμένοι aut ὡρκισμένοι νόμῳ ἰητρικῷ dicebantur: Alterum erat præſens hic ὅρκος, *quo obſtringebantur ij*, verba ſunt Zuingeri *qui artem medicam ſub optimis præceptoribus hauſiſſent, jamque ad artis profeſſionem accingerentur, veluti è paleſtra in campum, ex umbra in Solem, in mediam ſcilicet hominum vitam, ex literariis producendi pulveribus.* Quod tamen Hippo- 10
crates, præter diſcipulos jam recenſitos, excludit omnes alios, atque ἄλλῳ ἀδενὶ, *nemini alij*, artis medicæ ſecreta revelare ſe velle jurat; id non eo ſenſu accipi oportet, quaſi invidia ductus ita ſtatuerit, à quo crimine longiſſime abfuit. Ἄφθονοι enim 11
debent eſſe Muſarum fores, & invidiæ expertes; & ſibi etiam dictum id putent Medici, quod de Philoſophis Theognis ἐν γνώμαις ait:

Χρὴ μυσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴτι περισσὸν
Εἰδείη σοφίης, ἀφθονέρον πλέθειν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσαι, τὰ δ' ἔδειξαν, ἄλλα δ' ποιεῖν.
Τί σφιν χρήσει μὴν θηησάμενος;

Myſta atque interpres Muſarum haud invidus eſto,
Eximium ſi quid noverit in Sophia:
Verum alia inquirens, alia explicet, atque alia edat.
Quid proſit, ſolus omnia ſi teneat!

Et ἀλλότριον (ut in ἀλλ' ἀθέμις, inquit Suidas) φιλοσόφων τὸ βασκαίνειν καὶ φθονεῖν. οἷς (θεοσήκει) τὸ κοινωνεῖν πᾶσι πάντων ἀφθόνως. *Alienum eſt à Philoſophis celare diſciplinas & invidere: quos omnia liberaliter communicare decet.* Quod Deorum etiam exemplo cuivis inculcat Phocylides in Nuthetico:

Μὴ

©BIU Santé

Μὴ φθονέης δ' ἀγαθῶν ἑτάροις, μὴ μῶμον ἀναψῇς.
Ἀφθονοι ἀθανάτοισι καὶ ἐν ἀλλήλοις τελέθουσιν.
Invidus esse cave sociis, tibi ne mala dicant:
Ipsa etiam inter se invidia sine Numina degunt.

De Medicis vero eleganter simul & severe Scribonius Largus, in præf. operis sui, *Invidentiæ crimen*, inquit, *cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum præcipue Medicis: in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus DIIS & hominibus invisi esse debent.* Et vehementius Alex. Benedictus Aphorism. lib. 1. cap. 1. *Remedia, naturæ munera, non ostendere, & in arcanis habere, nondecet,* 12 *perfidiæ atque avaritiæ crimine manifesto.* Longe itaque alia mens fuit Hippocratis, medicinam nempe, ut rem sacram, non sane nulli, sed saltim nemini nisi initiato, & juramento ad fidem servandam constricto, communicari oportere: *non* discipulis *vagis*, ut hic ait Heurnius, *sed firmis, nec vulgo, quod experimenta capiat, sine notatione causse morbificæ. Artis enim utrumque intererat,* tum ne promiscue omnibus ad ipsam iter pateret, tum ne ejus arcana lippis etiam ac tonsoribus communicarentur & vilescerent. Atque hac de caussa de Hippocrate Soranus in vita ipsius ait: quod ἀφθόνως quidem τὴν ἐπιστήμην ἐδίδαξε τοῖς τέκνοις, *candide & liberaliter artem studiosos edocuit*; verum, ut addit, μετὰ 13 προσηκούσης ὅρκου, *debito interveniente juramento.* Neque aliter se ipsum explicat divinus vir, quando in lege ait: Τὰ δὲ ἱερὰ πρήγματα ἱροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται. Βεβήλοισι δ' ἢ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. hoc est: *Res sacræ sacris hominibus demonstrantur: profanis vero id facere velle nefas est, prius quam scientiæ orgiis fuerint initiati.* Atque eodem respicit Valens Vettius, Anthologiῶν lib. VII. ubi juramento lectores adstringit, ne artis mysteria non initiatis prodant. Ἐντυγχάνοντας ὁρκίζω, inquit, ἐν ἰατρικοῖς τοῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις, ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι. *Omnes qui in hæc inciderint, adjuro, ut in reconditis habeant, nec indoctis aut profanis communicent.* Cæterum in Hippocratis

©BIU Santé

pocratis verbis ex lege adductis, notanda sunt, quorum me- 14
minit, ὄπισήμης, seu *scientiæ orgia*. *Orgia* enim, quæ Erotianus in Lexico Hipp. & Auctor Etymologici interpretantur *mysteria*; licet proprie & primo de Liberi patris & Cereris sacris dicebantur, tamen deinde ad quævis alia significanda, quæ secreta haberi volebant veteres, fuerunt detorta. Ita Synesius Epist. CXLIII. dixit, φιλοσοφίας ὄργια; Cicero lib. I. de Orat. *dicendi mysteria*, Oppianus lib. IV. Cyneget. *artis venatoriæ scita*, vocat.

Αἴολα παντοίης ἐρατῆς μυσήεια τέχνης.
Omnigenæ & placitæ mysteria multimoda artis.

Epigramma vetus in Apuleium, Epigr. Græc. lib. V. per Λαλιὴ & ὄργια Μούσης, intelligit *Latini sermonis peculiarem & abstrusam elegantiam*. Nonnus Dionys. lib. IV. & XLI. *inventionem literarum*, quæ Cadmo tribuitur, θεσπεσίης ὄργια τέχνης nominavit: lib. vero VII. ἀθηήτοιο ὄργια κόλπου, hoc est, *non videndi arcana sinus*, in Semele noviter vocat *partem illam, qua fœminæ id sunt quod sunt*, quam vix alius inter ὄργια sive mysteria, aut etiam res serias nominarit. Verum, ut redeamus, unde fui- 15
mus digressi; mos ille disciplinas secretim habendi, & non nisi initiatis tradendi, nec in vulgus propalandi, ubivis gentium eruditis omnibus ab omni ævo fuit solennis. Veram enim & Philosophiam, atque etiam Theologiam, ut ait Clemens Alexandrinus, Strom. lib. V, sive scientiam quamcumque, non aliorum voluerunt esse, quam τῶν πολλάκις αὐτοῖς, καὶ δοκιμασίαν δεδωκότων, καθ' ἃ τε ἔπιστιν, καθ' ἃ τε τὸν βίον ἅπαντα. hoc est, *eorum qui sæpe cum ipsis conversarentur, suique dedissent experimentum, qua fidem, qua vitam totam*. Nempe ut caverent, ne incapaces rerum sublimium, & rude ac profanum vulgus, Philosophica scita, & religionem, risum jocumque putaret, & secreta indignis κοινοποιεῖσθαι ἀναίδην τὰ σοφίας ἀγαθὰ, μὴ πόνων ἀγώνων μελέτης, *temere communicari sapientiæ bona, pluribus certaminibus parta*. Quod si Berosо credimus, jam olim *Noah* 16

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 121 sur 248

©BIU Santé

libros ſuos *Armeniis*, *Ægyptiiſque*, atque etiam *Etruſcis* contradidit, quos non niſi Sacerdotes legerent, ſecretim aſſervarent,
17 neque ulli alii communicarent. Ab Armeniis mos idem ad *Chaldæos*, *Perſarum Magos*, atque *Indorum Brachmanas* defluxit.
18 Neque aliunde eſt *Hebræorum Cabbala*, quæ vox *acceptionem* ſignificat, quaſi doctrina ſit aliunde, vel per auditum, aut de manu quaſi in manum tradita ac recepta. Et *Eſdra* lib. IV. Vaticinii cap. XV. à Deo jubetur, quæ ex ore ejus acceperat, *perfectis quædam palam facere, quædam ſapientibus abſconſe tradere.*
19 Cæſar etiam Comm. de bello Gall. lib. V. de *Druidis*, Gallorum Philoſophis ac ſacerdotibus refert, eos ideo nihil litteris mandaſſe, ne diſciplinæ in vulgus efferrentur: & Pomponius Mela lib. III. cap. II. addit, eos diſcipulos clam docere
20 conſueviſſe. De Pythagoræis, Platonicis, Philoſophiſque aliis ita Clemens Alexandrinus Strom. lib. V. *Non ſolum Pythagorei, & Plato, multa occultabant; ſed etiam Epicurei dicunt, quædam apud ſe eſſe arcana, & non permittere omnibus, ut ea ſcripta legant. Quin & Stoici dicunt, à Zenone primum quædam eſſe conſcripta, quæ non facile permittunt legere diſcipulos, quorum non prius fuerit factum*
21 *ab ipſis periculum, an germane ac ſincere philoſophentur.* De hodiernis Indorum *Brachmanibus* adfirmat Franc. Xaverius in Epiſt. Japon., quod *ludi rector* (ex antiqua procul dubio veterum Brachmanum conſuetudine) *hoc agat, ut quos habiturus eſt diſcipulos, jurejurando compellat, nunquam ſe ea, quæ audituri ſint, myſte-*
22 *ria revelaturos.* Et hoc eſt, quod Andr. Alciatus, Parerg. lib. IIX. cap. X, cenſet denotari per *librum clauſum & apertum*, qui hodie ſolenniter iis traduntur & exhibentur, quibus, præhabitis cenſuris, Doctoralia inſignia ab Academiis, ſive univerſitatibus, ut vocamus, conferuntur. Admoneri enim eos putat iſto velut ſymbolo, ut indignis libros claudant, nec ſecreta & myſtica revelent, doctis vero probiſque viris eadem pandant atque aperiant. Quanquam neſcius non ſim, hoc ab aliis
23 alio trahi. Vocabantur autem *non initiati* Græcis βέβηλοι, ἀτε-

©BIU Santé

ἀτέλεστοι, ἀνοργίαστοι, ἀμύητοι & ἀμυσταγώγητοι; *initiati* vero μεμυημένοι, μυηθέντες, ὠργιασμένοι & τετελεσμένοι, qui libere ad ſecretiora admittebantur, quod notat Pollux Onomaſt. lib. 1. ſect. 1. cap. xxx1. Cæterum ad uberiorem intellectum Hippocratis facit locus Arnaldi Villanovani, qui eſt libro de ſimplic. *Tu audiviſti*, inquit, *quid Hippocrates præcipit in Phyſicis, iis quos docebat, quod ſecreta non pandant, quia redundant in vituperium Sapientum & infamiam. Quia ſi homo ſit ſapiens & inveſtigans, bene veniet ad iſta, & participabit nobiſcum donum Philoſophiæ. Si vero ipſe non eſt dignus eo, nec inveſtigans, nec intelligens, quicquid dicatur ei, perditur: immo dedecus eſt, talibus ſecreta pandere.* Quibus adde locum alium ex Alexandri Tralliani lib. x. ſub finem, ubi agit de remedio ſecreto ad colicam, quanquam ſuperſtitioſo. Ἄτοπον ἐνόμισα, μὴ οὐδαμοῦ τηλικαύτην ὠφέλειαν τῷ πάθει δύναμιν. ἀλλὰ οὐδαμῶς ὑμᾶς, μὴ ὡς τυχόντας ἐμφαίνειν τὰ τοιαῦτα. ὡς ἔνιοι φιλάρετοι τὰ τοιαῦτα δυναμένους φυλάττειν, ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἱπποκράτους οὐδαμοῦ. *Abſurdum putavi, tantum remedium non vobis tradere. Sed admoneo vos, ne quibuslibet ejuſmodi oſtendatis, ſed virtutis ſtudioſis, & qui ea poſſunt celare; quod etiam divinissimus Hippocrates præceptum dedit* Et reſpicit ad Hippocratis hoc juramentum Medicus ille apud Lucianum in Tragopodagra, ubi de remedio ad podagræ doloresagit, quod profari non audet.

Μύσης με σιγᾶν ὅρκος οὐκ ἐᾷ φράσαι,
Καὶ λοιδία θνήσκοντος ἐντολὴ πατρὸς,
Ὃς ἔπαξε κλῦσαι φαρμάκου μέγα σθένος.
Tacere me dejurium cogit ſacrum,
Morientis ultimumque mandatum patris,
Celare grandem vim jubentis pharmaci.

Μύσης enim ὅρκος hic, ſanctiſſimum eſt præſens Hippocratis jusjurandum, quo artis ſecreta ſolis initiatis jubentur revelari. Erubeſcant itaque, quod non incommode hic monendum, profanatores illi artis, &, Magni Zuingeri judicio, Comm. in

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 123 sur 248

©BIU Santé

lib. Hipp. de vet. Medic. flagris digni, quotquot è Medicis remedia, aut medicamenta (καλὸν πῆμα, ut vocat Heurnius in Notis ad jusjur.) sive vilis lucelli, aut turpis adsentationis causſa, hominibus idiotis, aut scraptis aniculis communicant. Etenim & in sanctissimum hoc jusjurandum peccant, & Medicorum res eo devolvunt, ut ganeonibus, carnificibus, aniculis, agyrtis & cuivis ex infima populi fæce, tantum in arte fidei atque auctoritatis, & sæpe plus tribuatur, quam iis qui in ejus præceptis vitam fere consumpserunt: & ansam præbent imperitis pro libitu in hominum corpora grassandi atque animas ægro-
27 tantium negotiandi. Licet enim recte medicamenta Herophilus, apud Galenum, οἷον περὶ θεῶν χεῖρας, seu *Deorum veluti manus* vocarit, lib. VI. de compos. med. κατὰ πόδας: tamen id de recto illorum usu intelligi oportet, ubi ab artis perito, atque ad artis præcepta, ac veram veteremque agendi methodum administrantur: quum temere & ab imperitis adhibita, id sint utentibus, quod gladius in manu furiosi. Erubescant qui medicinæ præcepta & remedia aut ipsi lingua vernacula conscribillant, aut bonorum medicorum labores in eam transferunt, in quos jure invehit Ant. Niger, lib. de Error. Medicinæ, errore IV. & Ioan. Freitagius Noct. Med. cap. XV. *Profanatione enim illa ac prostitutione & auctoritatem arti, & propter contemptum etiam efficaciam videntur suffurari*, inquit iterum Zuingerus, *& fenestram vulgo aperiunt ad omnem deceptionem, nequitiam*,
28 *omnisque generis latrocinia & injurias exercendas.* Et gravius profecto hi peccant, majorique cum periculo, quam illi, quos Udalricus Zasius traducit, in L. 11. D. de Orig. Iur. Col. XVII. & XLIV. qui Jus civile, ac I. C^torum quorundam scripta, vulgari lingua traducunt. Nec obstat, Hippocratem ipsum, veteresque alios, non peregrina olim, sed sua sibi vernacula lin-
29 gua omnia divulgasse. Etenim & ipse, & ad unum fere veteres omnes, ut capite præcedenti monuimus, non omnibus scripserunt, sed initiatis atque in arte provectis, scriptaque sua & edi-

©BIU Santé

ediderunt, & non ediderunt. Ediderunt doctis & eruditis, non idiotis. Σφάλλεται μὲν ὁ ἄπειρος, inquit Clemens Alexandrinus Strom. lib. v, καταλαμβάνει δὲ ὁ γνωστικός. *Fallitur quidem indoctus & imperitus: comprehendit vero qui est cognitione præditus.* Nemo unquam Hippocratem recte intellexit, nisi per Hippocratem, hoc est, sola ejusdem ac sedula lectione, uniusque loci cum altero collatione, nullis interim præoccupatus interpretationibus, 30

Nullius addictus jurare in verba Magistri.

Nemo etiam plane ipsum adsequetur, nisi in artis operibus optime versatus: neque tum unquam resumet in manus, quin doctior evadat peritiorque. Prius tangit Prosper Martianus Vir eruditissimus, & qui olim Romæ multa benivolentiæ nobis documenta dedit, quique nuper adcuratissime omnium difficillima Hippocratis loca τοῖς ἰατρῶν παισὶν explanavit. Tangit, inquam, Præfat. in Annotat. suas ad Hippocr. dum caussam, quur multi docti viri, qui Commentaria in Hippocratem scripsere, veram auctoris sententiam non fuerint adsecuti, non tam referendam censet in negligentes exscriptores & textus corruptores, ut vulgo fit, quam quod plurima ejus viri dicta, non ex ipsius Hippocratis fundamentis, ut par erat, sed aut Galeni alteriusve Medici, aut Philosophi interpretationibus exponere conati fuerint. *Galenum* enim ait, & forte non sine ratione, quod doctiorum etiam plurimi hodie non inficiantur, *doctrinam Hippocratis nomine potius, quam re vera insequutum esse, atque in ejus librorum censura magis, quam expositione laborasse; & quod gloriæ esset avidissimus, contradicendique studium connatum habuerit, ut nullum alium, ita nec Hippocratem irreprehensum reliquisse.* Certe I. C. Scaliger Galenum eandem ob caussam vocat *longe avidissimum carpendi se meliores.* Sed vide plenius de hoc differentem virum doctissimum, Thomam Reinesium, Variar. Lect. lib. I. cap. XII. De altero audiamus doctissimum Ioannem Cratonem, trium illum Impp. Archiatrum felicissimum, 31 32

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 125 sur 248

©BIU Santé

mum, qui Epiſt. inter Scholtzianas CXIIX, *Lectio Hippocratis*, inquit, *excellentem Phyſicum, & uſu peritum Medicum requirit.* Et paucis interjectis; *Sæpe totius ſententiæ cognitio in unius vocabuli explicatione conſiſtit.* Et diſertius Epiſt. CLXIV. *Non parvo ſtudio in Hippocrate ſum verſatus, ſed ut veriſſime dicam quod ſentio, nulla commentaria tam me in lectione ejus adjuvare potuerunt, quam ipſa praxis. Hæc cum ità, qui nunc Hippocratem nobis illuſtrare ſtudent, deſit, quam frigide ſæpe nos doceant, animadverto.* Atque hoc eſt, quod doctiſſimus Hieron Mercurialis ait in Præfat. Lection. Bononienſ *eos, qui Hippocratem intelligunt, vere Medicos appel-*
34 *lari poſſe.* Et quamvis difficultas illa, ut verum fatear, Medicorum pleriſque auctorem omnium maximum è manibus excutiat: tandem tamen illi ipſi, Adraſteia puniente, aut errorem ſuum fatcri coguntur, & pœnitentia ducti, ſero incipiunt ſapere; aut ſæpe non ſine ignominia, aut conſcientiæ exulceratione, negligentiæ in artis exercitio dant pœnas. Similiter vero, ut de Hippocrate dixi, res habet in ſcriptoribus aliis, qui ſua ſibi
35 vernacula lingua ſcripſere. Galenus, qui Aſiatico dicendi genere prolixe luxuriat, ex ſe quidem minus obſcurus eſt, in veſtibulo tamen libri VII. de ſimpl. Medicam. facult. diſerte fatetur ipſe, *neminem ſua recte intellecturum, niſi in præcedentibus non obiter, & velut aliud agendo, ſed ſerio fuerit verſatus; nec ſe ſcripſiſſe, niſi* εἰ τὰ πρῶτα γυμνασθείη, ſive *circa principia exercita-*
36 *tus:* Arabes idem paſſim de ſe ſuiſque ſcriptis præfari ſolenne habent. Haly in princ. Theoricæ, lecturum libros ſuos, ait,
37 *oportere eſſe perfectum, ſcientem omnes artes liberales.* Averrhoës lib. I. Collectan cap II, *Sciat*, inquit, *quod aliquis non poteſt ſtare ſuper finem hujus libri, nec intelligere partem ejus, niſi ille, qui tantum legerit in logica, quod ad minus poſſit cognoſcere modos trium*
38 *demonſtrationum.* Et ſimpliciter Rhaſes Aphoriſm. lib. VI. aph. V, *eum, qui ex ſcientia naturali, & Philoſophia, non fuerit adiutus, nec ex canonibus logicæ, nec ex horizontibus ſapientiæ, dubitabilem* ait *eſſe medicinæ:* hoc eſt, non æque aptum ad artis ſcita & de-

creta

©BIU Santé

creta percipienda & intelligenda. Sed desino hæc, & abrumpo. Lector, cui ita visum fuerit, post Zuingerum & Heurnium, etiam Petri Memmii Commentaria in hunc locum inspiciat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Διαιτήμασί τε χρήσομαι ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἐμήν. ἀπὸ δηλήσιος δὲ καὶ ἀδικίης ἔρξειν.

SUMMARIA.

1. *Lectio in textu diversa.* 2. ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων. 3. διαίτημα *quid?* 4. Δίαιτης *vocabulum æquivocum.* 5. *ejus originatio.* 6. *Diæta in* ὅρκῳ *quid notet?* 7. *ejus utilitas.* 8. *Dea Victa & Potua.* 9. *Paracelsi error, aut insciția.* 10. *qui paucis refellitur.* 11. *& se ipsum refellit.* 12. *Hippocratis ætas.* 13. κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν. 14. *Ægrorum in diætis peccata.* 15. *Impostorum latebræ sub verbis illis,* κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν. 16. *Magistratus in hoc passu officium.* 17. *Veneficia in cibis.* 18. δήλησις *quid.* 19 ἀδικία & ἁμάρτημα *differunt.* 20. ἔρξειν *quid.* 21. *Hippocratis verborum sensus.* 22. *Fabius Calvus notatus.*

THeodorus Zuingerus ἀντὶ τοῦ χρήσομαι, legi notat χρήσασθαι, ut sit aoristus. Ego cum Obsopœo legendum prorsus censuerim χρήσεσθαι, ut sit temporis futuri, cæterisque verbis, quæ præcessere in eodem tempore, respondeat. Quod si quis pertinacius contenderit retinendum esse χρήσομαι, vocabulum ἔρξειν, quod mox sequitur, mutandum erit in ἔρξω, ut cum τῷ χρήσομαι, & quod sequitur, δώσω, conveniat. Ἐπ' ὠφελείῃ καμνόντων, est, *in laborantium salutem*, sive *in auxilium laborantium*, ut transtulisse videtur Scribonius Largus Epist. ad Jul. Callist. qua loquutione mox iterum utitur Hippocrates, ubi se in ædes omnes, ἐπ' ὠφε- 1 2

©BIU Santé

3 ὠφελείη καμνόντων, ingressurum jurat. Cæterum διαίτημα, quam vocem & alibi sæpe usurpat auctor, & non uno in loco Thucydides, idem est quod δίαιτα, victus nempe, sive vivendi ratio, modusque & lex quædam. Διαιτήμασι vero χρήσασθαι, est *victu ratione uti*, sive ipsus ea utaris, sive alii, ut Medicus, præ-
4 scribas; quo sensu Hippocrates eam phrasin heic effert. Olim tamen διαίτων vocabulum tum apud Græcos tum Latinos æquivocum erat, nec victus tantum rationem, sed *cenaculum* insuper sive *cenationem* notabat, hoc est, locum in quo cibus sumebatur, & *domicilium*. Pro cenaculo accipit Suetonius in Claudio cap. x. *In diætam, cui nomen est Hermæum, secesserat*: & aliquotiens Plinius Secundus lib. v. Epist. vi. & sæpe alibi; qua de re vide Fulvium Vrsinum, Adpendice ad P. Ciacconii tract. de Triclinio. Thucydides Histor. lib. ii. ἐκ τοῦ διαίτου, vocat *sedem*, sive *domicilium commodum* aut *sufficiens*, ut in eo habitare quis possit: similique notatione Herodoto lib. iii. δίαιταν μισθοῦσθαι, est *diversari*, aut *domicilium deligere*. Dicta est διαίτα ἀπὸ δαιτὸς, sive δαίτης, quæ voces *epulum* significant; ἀπὸ δ δαίνυμι *epulor*, quod rursus est à δαίω *divido*, *partior*: quamvis Varro dictionem Latinam esse censuerit, dictam quod in
5 *dieta*, sive *cenaculo*, de die edere solebant. Cæterum apud Medicos, ut dixi, communiter victus rationem designat. Victus autem ratio, licet proprie de cibi potusq; regimine intelligatur, tamen recte Theod. Zuingerus & Franc. Ranchinus, Comm. ad jusjur Hipp., per diætam cæterarum etiam rerum, quas communiter non naturales vocamus, administrationem
6 heic loci notari censent. Eas etenim omnes jam olim hoc nomine venisse, testis est Galenus, tum lib. ad Thrasyb. cap. xxxv. & lib. art. Med. cap. lxxxiii. tum lib. iii. Epid. comm. iii. text. ix. ubi & otium, exercitationem, balneum, venerem, somnum, vigilias & alia eo refert; idemque ex Hippocrate ipso probare satagit Anutius Foësius in Oecon. Hipp.

De

De diæta autem, quod notatu quidem dignum ſit, veteres vix quidquam ſcriptis mandaſſe, Hippocrates ait, lib. de vict. rat. in morb. ac. ſect. 1. text. VI. additque, magni fuiſſe momenti, ſi id præſtitiſſent. In diæta enim rite ordinata, atque obſervata, 7
corporis atque animæ conſiſtit vinculum, vitæque ſuſtentaculum, inquit Memmius, Comm. in jusjur. & immane, quantum ad bene medendum adferat emolumenti. Nec quiſquam rectius id diſcat experiaturque, quam ij, quibus quotidie cum morbis colluctandum. Congruente enim diæta, vires ægrotantis conſervantur, augentur, facultas ipſa erigitur: at indebita quæ ſit, vires diſſolvit, morbum auget, naturam proſternit. Ac rem ita habere pulchre docet Hippocrates, lib. de vet. medic. nec adfirmare dubitat Galenus, omnia alia remedia, quantumvis generoſa, irrita eſſe, ſi vivendi ratio accommodata non acceſſerit, lib. de diff. feb. cap. ult. lib. de uſu theriacæ ad Pamphil. &. lib. XI. meth. med. cap. XV. Cui fini 8
etiam ne diæta male ſibi verteret, aut in ea peccaretur, Romani *Victam* & *Totuam*, peculiares diætæ Deas coluiſſe, teſtis eſt Arnobius lib. III. contra gentes. Itaque merito hoc in loco Hippocrates victus ratione ægris convenienti, quantum licuerit, uſurum ſe jurat, aut diſcipulos potius, ut id jurent, adigit; qualiſque ea pro morborum ægri diverſitate ac differentia eſſe debeat, cum paſſim alibi, tum præcipue lib. I. Aphoriſmor. & lib. de vict. rat. in ac. adcurate docet. Repertus tamen fuit 9
noſtro ſeculo *Paracelſus*, qui quum ad principia artis convellenda (de Chymiæ illius ſtudio nihil dico) πάντας παρεπεμψάμην, & εἰμώζειν κελεύων, animum adjeciſſet, diætam quoque & inſuper habuit, & in morborum curatione, ut inutilem, imo noxiam damnavit, Comm. ad Hipp. aph. ſect I. Aph. V. quod remediis, ut putat, in morbum pugnare oporteat, morbuſq; diætæ beneficio abactus, diæta rurſus immutata ſoleat reverti. Vnde ægrotos, quos curandos recipiebat, ſi Oporino in Epiſt. de vita Parac. ad Wier. & Solenand. fidus arbi-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 129 sur 248

©BIU Santé

arbitranda, nulla victus ratione præscripta, aut obſervata, ſed noctes dieſque cum ipſis potando, *pleno ventre*, ut aiebat, *curare*
10 gloriabatur. Verum ut paucis hæc refellamus, quemadmodum negari nequit, remediis in morbum eſſe pugnandum: ita victum quoque, ſive cibum potumque, ex remediorum numero exterminare non licet. Nam & diæta, ſi adfectui contraria præſcribatur, morbum oppugnat, & ſæpe nullo remedio alio interveniente expugnat. Quid potus abſtinentia potuerit in Hydrope, exemplum docet Iulii Viatoris, equitis Romani, cujus Plinius meminit lib. VII. cap. XIIX. & ruſtici, quod habet Benivenius lib. de abd. rer. cauſſ. cap. XIII. quodque his addit Heurnius lib. VII. aph. Comm. LIX. Quin experientia oſtendit quotidiana, quantum cibus potuſque inconvenienter ſumptus, aut qualis non debebat, febribus obſit, eaſque ex brevibus diuturnas, ex minimis maximas faciat, aut recidivam morbo principali nocentiorem inducat. In arthritide vero bonam victus rationem dimidium eſſe ſanationis, recte prorſus adſeruit Eraſtus Diſput. Antiparac. Tomo IV. Quod vero Paracelſus diætam ex eo improbabat, quod morbus diæta mediante abactus, eadem immutata recurrat, riſum meretur, quum id non fieri omnino non poſſit. Neque enim unquam lautus erit, qui ſtatim à lavacro iterum cœno ſe immergat: neque à morbis manebit immunis, qui vix aliquo abacto, licentioſa vivendi ratione novam rurſus vel eidem, aut aliis, materiam ſuffecerit. Si forte etiam fortuna in uno alterove ægroto medicatio illa, citra diætæ obſervationem inſtituta Paracelſo bene ceſſit, naturæ potius robori, aut morbi vi imbecilliori id fuerit adſcribendum, & rectum ex errore judicandum, quam ut univerſalem ex eo concluſionem
11 formare liceat. Itaq; ut ipſemet Paracelſus, ſive errorem ſuum agnoſcens, ſive præanimi inconſtantia, atq; ebrioſitate parum penſi habens quid loqueretur, alibi diætam magni feciſſe legitur, cumprimis in iis, quos de morbis Tartaricis conſcripſit libris.

libris. Quemadmodum etiam lib. x. Archidox. varias ægritudines corporis ex inordinato vitæ regimine oboriri fatetur. Poterit lector plenius de his videre apud Mich. Doringium de medicina & med. lib. I. part. II. sect. V. class. III. cap. V. quæst. VII. Nos ad Hippocratem revertimur. Is igitur diætam non plurimi solum fecit, & scriptis illustravit, verum ejus etiam usu in semetipso tantum præstitit, ut integra & illibata sanitate vegetam attigerit senectam, ætatisque annum LXXX. vel ut alii volunt XC. alii CIV. alii vero CIX. Sorano in ipsius vita atteſtante, felici exemplo adimplerit. Sequitur in textu, 12 13
καὶὰ δύναμιν ϗ κρίσιν ἐμὴν, pro *noſſe ac poſſe meo*, de qua loquutionis formula supra egimus. Non vero citra rationem denuo eam heic inculcat Hippocrates. Nam diætam quidem ægris salutarem se præscripturum promittit, sed quantum ejus à se præstari queat. Neque enim si sponte, & contra medentis præscriptum, in diæta æger peccet, (quod Hephæstio faciebat, apud Plutarchum in vita Alex. & absente commodum Medico, victus tenuioris impatiens, gallo gallinaceo adeso, & ingenti vini frigefacti cratere educto, mortem sibi consciscebat) medico mortalitatis eventus debet imputari. Neque 14
etiam Medicus saltim sic comparare se debet, ut faciat, quæ facto sunt opus, sed & æger, & qui præsto sunt, dicebat Præceptor in princ. Aphorism. Itaque Innocentius III. Pontifex cap. tua nos. de homicid. Monachum, qui Chirurgiæ deditus mulieri tumorem in gutture ferro aperuerat, atque eidem, ne ante vulneris consolidationem vento se aut aëris injuriæ exponeret, injunxerat, postquam illa consilio contempto, mortem sibi aëris mutatione adsciviſſet, ab homicidio absolvit. Ab ægrotis enim, aut adstantibus, si quid delinquatur, medicus erit extra culpam; qui etiam, si prudens sit, ad ea, quæ extra suam sunt potentiam, nunquam se obligabit. Verum ista omnia, quod recte hic monuisse video P. Memmium, in Comm. hujus loci, de vero Medico, & artis perito

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 131 sur 248

©BIU Santé

ſunt accipienda, minime vero de ſpuriis, imperitis, artiſque
15 propudiis & dehoneſtamentis. Hi namque ſub Hippocratica illa phraſi κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν ἰήσω, latebras quærunt & effugia, ſive peſſimis aliquando modis ægrotos exceperint, ſive Orco etiam victimas demiſerint; & ſæpe plures, quam Achilles ille Homericus, Iliad. α.

Πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προϊάψων.
Illuſtres animas multas ſub Tartara mittens.

Nihil enim fere aliud circulatoribus iſtis in ore, quo ſcelera ſua vel excuſent, vel palliant, quam ſe omnia *pro noſſe & poſſe*, & *quantum viribus animoque valuerint*, peregiſſe; artis omnis interim ignari, nec quidquam ex artis præſcripto agere prompti parati. Neque aliud mantellum ſuis animarum nundinationibus quærunt putidæ anus, quam omnia ægri commodo ſe feciſſe, bonoque animo; quod noſtrates triobolariæ, ſuo
16 loquendi modo dicunt: Es iſt gutt gemeinet geweſen. Verum hoc genus bipedum illud eſt, in quod Leges & Conſtitutiones Imperii animadverti jubent, Magiſtratuſque officium flagitat, ſevere ſerioque inquirere, ac delinquentes ſine diſcrimine ac reſpectu ad commeritas pœnas vocare, & cavere, ne delicta in Republ. maneant impunita, nec maleferiati & ſceleroſi graſſatores liberis civium capitibus impune illudant. *Nec iniquum* enim *videtur, ſi infirmitas* (immo inſcitia) *culpæ adnumeretur; quum adfectare quisquam non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam alij periculoſam futuram*, dicebat Gajus Ictus, l. 11x. D. ad L. Aquil. Videtur autem inter illa hoc eſſe, quæ ut corrigantur, optanda potius, quam ſperanda cordati omnes judicant, & querulantur. Cæterum non contentus Hippocrates ſancte adfirmare, ægris ſalutarem victum ſe præſcripturum; addit porro, ſe eoſdem à victu contrario, qui pernicioſus ſit & noxius, adeoque ab omni in victu βλαπτικὴν καὶ ἀδικίαν ἔργων, hoc eſt, *ab omni nocumento injuriaque voluntaria eoſdem prohibiturum.*
17 *Veneficium enim nullibi aſtutius fallit,*

inquit

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 132 sur 248

inquit hic Heurnius, *quam in cibis*. Livia Auguſtum ficubus medicatis, ne Agrippæ Imperium traderet, ſuſtuliſſe credita fuit, ut Dio habet lib. LVI. & *boletis, optimo quidem cibo, ſed immenſo exemplo in crimen adducto*, Claudium Imp. uxor Agrippina ſuſtulit, inquit Plinius, lib. XXIII. cap. XXII. & tangit Suetonius in Claudio, cap. XLIV. & in Nerone, cap. XXXIII. Nero Imp. libertos divites & ſenes, olim adoptionis, mox dominationis ſuæ fautores atque rectores, veneno partim cibis, partim potionibus indito intercepit: & damnatorum liberos cum pædagogis & capſariis uno prandio aliquando pariter necavit, ut auctor Suetonius in Nerone, cap. XXXV. & XXXVII. L. Verus Imp. Fauſtinæ ſocrus dolo, adſperſis veneno oſtreis, exſtinctus creditur, ut habet Iul. Capitolinus in Vero. Commodus Imp. Metylenum, præfectum prætorio, per ficus veneno interemit, teſte Ælio Lampridio in Commodo. Emanuel Byzantii Imp. exercitum fere integrum Conradi III. delevit, gypſum contuſum, & in farinæ ſpeciem redactum triticeis commeatibus remiſcens, & Byzantio in caſtra militi cibando ſubmittens, ut refert Sabellicus lib. IV. Enneade IX. nec negat è Græcis ipſis Nicetas Choniates, Annal. lib. VII. Exempla paſſim occurrent alibi alia. Eſt autem *δήλησις* à 18
δηλέω, noceo, lædo, & *nocumentum, damnum*, immo & *venenum* aliquando ſignificat. Heſychius inter alia *κακεργίαν, λώβησιν, φθορὰν* interpretatur. Hinc *δηλητήριον, mortiferum*. Ἀδικία eſt *injuria* & *noxa* quæ infertur, & quidem deliberato. Differunt 19
enim *ἀδικία* & *ἁμάρτημα*, ſive *injuria*, & *delictum*, quod illa ſemper cum deliberatione fiat, hoc etiam ab errore: quum *ἀδικεῖν*, ſit *conſulto, & ex malitia peccare*, *ἁμαρτάνειν, lapſu quodam delinquere*. Τὸ γὰρ ἀδικεῖν, dicebat Philoſophus lib. I. Rhetor. cap. X. ἔστι τὸ βλάπτειν ἑκόντα, παρὰ τὸν νόμον. *Injuria afficere, eſt ſponte lædere, contra legem*. Et ibid. cap. XIII. τὸ ἀδικεῖν ὥρισαι ἑκούσιον εἶναι. *Injuria afficere, definivimus ſpontaneum eſſe*. Vtrumque jam ante etiam dixerat idem lib. V. Ethic. cap. XI. ac

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 133 sur 248

©BIU Santé

præterea cap. XI I. distinxerat inter ἀδικεῖν, & ἄδικα ποιεῖν, *injusta facere, & injuste*: quum illud casu fieri possit, hoc non fiat nisi ex προαιρέσει, seu *præelectione*. Itaque Hippocrates paullo infra, ubi promittit, se in quascunque ædes ingrediatur, alienum futurum ab omni injuria, addit vocabulo ἀδικίης, epitheton ἐκουσίης ut vocis significatio plenius explicetur, atque id quod
20 implicite hic dicitur, ibi manifestius exprimatur. Vocabulum εἴργειν, Glossæ Scaligeri explicant per ἐμποδίσαι, quod Hesychio est μαστάζαι, & proprie significat *pedes implicare*, aut *obstaculum injicere*: quasi τὸ εἴργειν, non simpliciter *prohibere* à mala diæta, aut *arcere*, sed *omni conamine impedire, atque aver-*
21 *tere*. Itaque verba textus commode ab interpretibus fere omnibus ad ægros referuntur, quos ὁ ὀμνύων ab omni in victu noxa & injuria se vindicaturum promittit. Et à δηλήσει quidem eos vindicat, *si optimo cibo utatur, & videat ne victus monstri quid alat*, ut inquit Heurnius, *& ut philtra absint*. Ab ἀδικίᾳ autem, si bono etiam cibo recte & suo tempore utatur. Nam & qui talis est, enecare potest, si indebito loco & tempore exhibeatur; ut si detur in vigore morbi acuti, ubi nihil erat dandum, aut pleuriticis, dum os madet à ptyalo, quod notat divinus Senex lib. de victu acut. in Princ. Quo in loco etiam, licet summis laudibus efferat decoctum hordei, si non loco & jure in usum veniat, idem summe noxium esse ait, & veneni modo interimere. Simili autem circumspectione uti convenit Medicum in exhibendis iis, quæ venerem stimulant, ac somnum inducunt, quibus improbos sæpe sceleste abuti con-
22 stat. Cæterum Fabius Calvus verba hæc jurisjurandi ad jurantem ipsum, quam ad ægros, referre maluit, quasi is, quo sanctius medicinam tractet, juret se ab omni sibi maleficio & malitia temperaturum, longeque omnem à se culpam amoturum; ac si verborum sensus ad dignitatem Medici & integritatem spectet. Quæ interpretatio licet inepta prorsus non sit, tamen repetitionem minus necessariam, & ab Hippocratis stilo

© BIU Santé

ſtilo alienam ſecum trahit. Quum enim in mox ſequentibus præmeditato ejuretur omne maleficium, atque improbitas, quorſum attinebat idem hoc etiam in loco facere, ubi alia de re, & quidem de diæta agebatur.

CAPVT DECIMVM QUARTUM.

οὐ δώσω ἢ ἐδὲ φάρμακον ἀδενὶ αἰτηθεὶς θανάσιμον· ἐδὲ ὑφηγήσομαι ξυμβουλίην τοιήνδε.]

SUMMARIA.

1. *Tres negationes apud Gracos ſumme negant.* 2. *Φαρμάκου etymon duplex.* 3. *& ſignificatio duplex.* 4. *ut & medicamenti.* 5. *& veneni.* 6. *& virus.* 7. *Φάρμακον θανάσιμον.* 8. *Medicus nec hoſti det venenum.* 9. *Iul. Alexandrinus notatus.* 10. *& Iuſtus Velſius.* 11. *ſed dubitanter.* 12. *Hippocrates an in hoc paſſu aliquando peccarit?* 13. *Romani venenorum fraudes nec in hoſtes probarunt.* 14. *Fabricij Coſ. Romani memorabile exemplum.* 15. *M. Aquilii factum improbatum.* 16. *Eudemi & Xenophontis Medicorum ſcelera.* 17. *& Fridanci.* 18. *& Zedechiæ Iudei.* 19. *& aliorum.* 20. *Servi pius dolus in Domitium.* 21. *& Medici apud Apuleium.* 22. *Conſimilis Cleophanti pietas.* 23. *Medici occidentis pœna.* 24. *συμβουλίην ὑφήσασθαι, & ὑφηγεῖσθαι.* 25. *in conſcientiam adhibere, aut ſumi.* 26. *De venenis ut agendum Medico.* 27. *Veneficus quis?* 28. *Etiam venditio veneni prohibita.* 29. *Statii Annæi Medici factum improbatum.* 30. *An differant exhibere venenum, & dare ut exhibeatur.* 31. *Archigenes Medicus an peccarit in jusjurandum Hippocratis?* 32. *An liceat Medicis veneni vim & alexipharmaci in morti damnatis experiri?* 33. *Herophili carnificina.* 34. *& Carpi.* 35. *& Fioravanti.*

VUlgatum apud Græcos eſt, duas negationes non ad- 1
firmare, ut apud Latinos, ſed vehementius negare; & ſuperfluum fuerit rei probandæ exempla proferre. At tribus negandi particulis copulatis intenſius negari non adeo eſt frequens. Exemplum tamen eſt in præſentibus

©BIU Santé

tibus Hippocratis verbis, ubi ait, οὐ δώσω οὐδὲ φάρμακον οὐδενὶ θανάσιμον; quas negationes omnes simul includens, Latine simpliciter efferes, *nemini prorsus dabo medicamentum mortiferum.* Simile exemplum aliud est lib. de arte: ἐγὼ δὲ οὐκ ἀποστερέω μὴν οὐδ' αὐτὸς τὴν τύχην ἔργα οὐδενός: *neque ego fortunam fraudo ulla efficacia.* Neque aliter Plato aliubi; οὐ δυνατὸν οὐδεπώποτε οὐδὲν τούτων πρᾶξαι: *impossibile horum quidquam facere.* & Demosthenes; οὐδέποτε οὐδὲν οὐ μὴ γένηται τῶν δεόντων: *nunquam quidquam fiat eorum quæ oportet.* Et occurrent exempla interdum apud alios alia. Guil. Budæus Attici idiomatis proprium id esse docuit,
2 in Comm. Ling. Græcæ. Cæterum τὸ φαρμάκου nomen Suidas deducit ἀπὸ τοῦ φέρειν ἅμα ἄκος. Agellius lib. XII. cap. IX. vel ἀπὸ τοῦ φέρειν ἄκος, vel ἄχος, *quod vel medelam vel dolorem adferat,* deducit, prout in bonam malamve partem accipias; quod Auctor Etymologici etiam monuit, & Eustathius Iliad. δ. ubi ait, τὸ φάρμακον δὲ μέση λέξις, ὅτι τι μὴ ἀγαθὸν λαμβανομένη, ἀπὸ τὸ φέρειν ἄκος, ἢ καὶ τοῦ ἀγαθοῦ, ἀπὸ τὸ φέρειν ἄκος, quemadmodum & τὸ φαρμάξαι, quod est *pharmacum exhibere*, ἀμφίβολον esse ait Pollux, lib. IV. cap. XXV. Etenim simpliciter pharmacum & sine epitheto positum, non
4 secus ac *medicamenti* apud Latinos vocabulum, nunc medici-
5 nam aut remedium, nunc venenum notat. Quemadmodum ipsum etiam *venenî* vocabulum ambiguum est, ut propterea Cajus I C. in L. qui venenum. D. de verbor. signif. aiat: *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum: quum & venenum aliud sit bonum, aliud malum, non secus ac dolus alius bonus alius malus:* de qua re prolixius videri potest Ioan. Aloysius Catalanus, tract. de Amnestia cap. XXXVII. & Scipio Gentilis
6 Parerg. lib. II. cap. XIV. Neque aliter quam medio modo se habet *virus* vocabulum. *Malum* enim *virus*, pro *veneno*, dixit Princeps Poëtarum, Georg. lib. I.

Ille malum virus serpentibus addidit atrum.

quod

© BIU Santé

quod in bonam partem pro *odoribus* usurpavit Statius Papinius, Silvar. lib. II.

——— *Atque omne benigne*
Virus, odoriferis Arabum quod crescit in hortis.

Hippocrates ut per pharmacum hoc in loco vere venenum accipi sciremus, cum adiectione id vocavit θανάσιμον, sive *mortale*; quo epitheto etiam usus est Euripides in Jone, & Josephus Antiq. Judaic. lib. IV. cap. IIX. & Dioscorides sæpius. Nicephoro Calisto, & Herodiano, est δηλητήριον, seu *nocivum*; Homero Odyss. δ. ἀνδροφόνον, *occisorium*, & Odyss. κ. ἐλόμβρον, *pernicioſum*; Xenocrati apud Galenum lib. x. de simpl. medic. facult. in princ. παλαμναῖον, sive ut Galenus ipse explicat, θανάσιμον, *mortiferum*; Pollux lib. v. cap. XXVII. ὀλέθριον vocat, & φονικὸν, *pernicioſum* & *occisorium*. Marcianus I C. l. III. ff. ejusdem. D. ad L. Corn. de Sicar. Hyginus Fab. CXXX. & CXXXII. Scribonius Largus Epist. ad Iul. Callistum, Plinius lib. XXIIX. cap. IX. & Apulejus Celsus lib. de herbis cap. x. *medicamentum malum* vocant; L. Florus lib II. cap. XX. *impurum*. Lucius Apulejus Metam. lib. x. *peremptorium*. Eleganter autem totum hunc Hippocratis locum (ὠφελέζ) Scribonius, loco laudato: *Ne hostibus quidem*, inquit, *malum medicamentum dabit, qui medicinæ sacramento legitime sit obstrictus: sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut miles & civis bonus, omni modo. Quia Medicina non personis homines æstimat, verum æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur, nullique unquam nocituram profitetur.* Et paucis interiectis: *Scientia enim sanandi, non nocendi, est medicina: quæ nisi omni parte sua plene incumbat in auxilia laborantium, non præstat, quam pollicetur hominibus, misericordiam.* Neque alio respexit L. Apulejus, loco adducto, ubi de servo venenum comparante agit: *Quum venenum*, inquit, *peremptorium comparare, pessimus iste gestiret, nec meæ Sectæ crederem convenire, caussas ulli præbere mortis: nec exitio, sed saluti hominum, Medicinam quæsitam esse didicissem*, &c. Aut Seneca lib. IV. de

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 137 sur 248

©BIU Santé

benefic. cap. XXIIX. dum ait: *Medicina & ſceleratis opem miniſtrat: & compoſitiones remediorum ſalutarium nemo ſuppreſſit, ne ſanarentur indigni.* Fruſtra itaque eſt Iul. Aleaxndrinus, qui hoſti
9 auxilium à Medico penitus omne denegandum cenſuit, quod putaret beneficentiam ab officio ſuo recedere, & maleficam evadere, ſi in hoſtes exerceretur. Ratiuncula enim hæc jampridem à Scribonio, iis, quæ adduximus, verbis confutata eſt; quum Medico quidem liceat, qua civis eſt bonus, re poſtulante, hoſtes perſequi: qua Medicus vero, non perſonas æſtimare, ſed æqualiter cuivis imploranti auxilio ſuo ſuccurrere, & ut ille ait:

Tros Rutuluſve fuat, nullo diſcrimine habere.

10 Neque audiendus eſt Iuſtus Velſius, cujus in proſceniis Medicor. cap. IX. meminit Theodorus Zuingerus, qui *improbum hominem non curandum dictitabat, ne propter peccata immiſſum morbum tollendo, videatur Medicus ire θεομαχεῖν, removendo id, quod*
11 *Deus adeſſe volebat.* Quanquam ubi hoc Velſius ſtatuerit, equidem neſciam; nam aliquot edidit opuſcula. Ex Commentariis ſane ejus in Tabulam Cebetis lib. IV. contrarium elicere me poſſe putem. Rhetorices enim finem ibi ait eſſe, dictione perſuadere. Bona autem an mala ſint, quæ perſuadere conatur, quod ad artem pertinet, nihil putat intereſſe: quod ad hominis vero & civis officium, plurimum. Boni enim hominis & civis officium non eſſe, perſuadere mala; bonum nihilominus Oratorem, qui id poſſit *Accidit autem hoc*, inquit, *& in aliis artibus, & in ipſa ſtatim Medicina. Nam bonum appellamus Medicum, qui quamplurimos & commodiſſime ſanat. Sintne autem Græci illi, an Barbari, Græcorum hoſtes, quod ad artem pertinet, nihil intereſſe putamus.* Ex quo colligas non eam ipſius fuiſſe ſententiam, quam putavit Zuingerus. Sed *quod dubium eſt ſit in medio*, dicebat alicubi Suetonius. Medicus certe, improbo homini manum auxiliatricem adhibens, opus charitatis facit; ægrumque porro, ſi pius ſit, hortabitur, ut vitam emendet, Deumque flagi-

©BIU Santé

flagitet, ut & medicamentis benedicat, & delicta reſipiſcenti condonet. Non eſt vero, ut Hippocratis exemplum huc tra- 12
hamus, qui ad Regem Perſarum, maximis muneribus invitatus ire noluit; *ne* (ut ipſus ait, in Epiſt. ad Hyſthanem Helleſponti Præfectum) *barbaros à morbis liberaret, qui Græcorum eſſent hoſtes*; patriam vero magnificis prætulit hoſtis pollicitationibus. Aliud enim omnino eſt patriam deſerere, & pretio conductum ad hoſtem ſecedere; aliud unum aut alterum hoſtium, artis auxilium implorantem, ſalvis patriæ rebus, opera ſua juvare. Venenorum vero in hoſtes fraudem, nec priſci 13
probarunt Romani. Id in vulgus etiam nota nos docet hiſtoria, quam habent Plutarchus in Pyrrho, & Apophtheg. Ælianus hiſt. var. lib. XII. cap. XXXIII. Val. Maximus lib. VI. cap. V. Agellius lib III. cap IIX. Aur. Victor. de Viris illuſtr. cap. XXXV. Eutropius lib. II. atque alii. Quum enim *Timochares* 14
Ambraciota, ſive *Nicias*, aut *Cineas* quidam, Pyrrhi Regis Epirotarum vel familiaris, vel Medicus (nam variant utrobique Scriptores) C. Fabricio Cos. Rom. certo præmio polliceretur, ſe Pyrrhum veneno ſublaturum; Fabricius per litteras monuit Pyrrhum, ut circumſpecte ageret, ſibique caveret à proximorum inſidiis, ac ſalutem tutaretur. Se interim malle virtute & armis hoſtes ſuos quam veneno vincere. Et in M. Aqui- 15
lium, (qui Aſiatici belli reliquias confecturus, mixtis veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium, maturam ſed infamem obtinuit victoriam) graviter Florus lib II. cap XX. invehit, quod *contra fas Deum, moreſque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus ſacroſancta Romana arma violaſſet*. Nefarie vero 16
egerunt Medici, quotquot contra hoc jusjurandum crimine homicidii ſe polluerunt, nomenque cum ſempiternæ infamiæ dedecore ad poſteros transmiſerunt. Ex iis *Eudemus* Liviæ, & *Xenophon* Claudii Imp. Medicus. De utroque teſtis Tacitus, & de Eudemo quidem lib IV. Annal. ait, ipſum à Livia Druſo necem moliente *in conſcientiam ſumtum*. De Xeno-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 139 sur 248

©BIU Santé

phonte Annal. lib. XII. ubi de Agrippina agit, Claudii uxore, maritum veneno tollere satagente: *Provisam*, inquit, *jam sibi Xenophontis Medici conscientiam adhibet: ille enim, tanquam nisus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur: haut ignarus*, ita pergit Tacitus, *summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio*. Consimilis horum fuit Zoës Augustæ Medicus, cujus illa scitu & opera Ioanni, Michaëlis Paplagonis Imp. fratri, venenum misceri curavit,
17 ut refert Cedrenus. Guntherum quoque Swartzeburgicum Caroli IV. Imp. instinctu *Fridancus* Medicus, Guntheri familiaris, potione venenata interemit, ut est apud Crantium Metropol. lib. IX. cap. XXIX. & Io. Cuspinianum in Cæsarib. Nec alio fato periit Sanctius Castellæ Rex, cognomento Crassus, & Grimoaldus Rex Longobardorum, quos à Medicis intoxicatos referunt Ritius Neapolitanus lib. II. de Reg. Hispan. & Paullus Warnefridus lib. V. de gestis Longobard. cap.
18 XXXIII. Carolum vero Calvum Franciæ Regem, Roma redeuntem, sive suæ, sive alienæ obsequens libidini, *Zedechias* Iudæus medicus veneno sustulit, ut est apud Sigebertum & Reginonem lib. II. quo modo etiam superiori seculo Bajazethem II. Turcarum Imp. filius Selymus Hammonis Iudæi
19 medici opera interfecit. Neque excludendi ex horum numero sunt Medicus ille Oppianici, & Pharmacopola circumforaneus, apud Ciceronem in Orat. pro A. Cluentio Medicum enim, quod ejus opera Oppianicus pridem plures interemisset, *jam cognitum* Cicero vocat, *& sæpe victorem*: pharmacopolam vero pactis L. L. S. quadringentis Oppianici socrum Dineam prima potione sustulisse narrat. Nec alter ille, apud Apulcium lib. X. de quo ait: *Medicum convenit quendam notæ perfidiæ, qui jam multarum palmarum spectatus præliis, magna dextræ suæ tropæa numerabat*. Nec Gabrina, cujus meminit Lud. Ariostus, Canto XXI. stanza LIX. alterius est farinæ:

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 140 sur 248

©BIU Santé

Vn Medico, inquit, *trovò d'inganni pieno,*
Sufficiente & atto à simil vopo;
Che sapea meglio uccider di veleno.
Che risanar gl'infermi di filopo.

Sive, ut Latine dicamus:

Medicum malignis repperit plenum dolis,
Aptum paratum, quodvis ut faceret scelus;
Qui rectius norat veneno tollere,
Quam debitis ægro mederi pharmacis.

Quanto vero omnibus istis religiosior Domitii ille Medicus? 20
de quo Seneca lib. III. de benefic. cap. XXIV. *Corsinium*, inquit, *Cæsar obsidebat: tenebatur inclusus Domitius. Imperavit medico, et lemque servo suo, ut sibi venenum daret. Quum tergiversantem videret, quid cunctaris? inquit, tanquam tua in potestate totum istud sit? mortem rogo armatus. tum ille promisit, & medicamentum innoxium bibendum illi dedit. Quo quum sopitus esset, accessit ad filium ejus. Iube me, inquit, adservari, dum ex eventu intelligis, an venenum patri tuo dederim. Vixit Domitius, & servatus à Cæsare est: prior tamen illum servus servaverat.* Meminit historiæ etiam Plinius lib. VII. cap. LIII & Plutarchus in Cæsare. Non alia 21
pietate fuit Senior ille apud Apuleium lib. X compertæ præ cæteris fidei Medicus, qui quum à novercæ cujusdam emancipato servo venenum privigno Patronæ occidendo rogaretur, somniferum dedit. *Quum venenum peremptorium*, inquit Medicus ipse, *comparare pessimus iste gestiret: nec meæ Sectæ crederem convenire, caussas ulli præbere mortis: nec exitio, sed saluti hominum Medicinam quæsitam esse didicissem: verens, ne si daturum me negassem, intempestiva repulsa viam sceleri subministrarem & ab alio mercatus hic potionem, vel postremum gladio, vel quovis telo nefas inchoatum perficeret: dedi non venenum, sed somniferum mandragoræ illud, gravedinis compertæ famosum, & morti simillimi soporis efficax.*
Neque aliter animatus fuit *Cleophantus*, *Medicus quidem ignobilis, sed homo sectatus*, ut vocat Cicero in Orat. pro A. Cluen- 22

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 141 sur 248

©BIU Santé

tio. Hujus ſervum ſollicitarat C. Fabricius ſpe & pretio, ut Avito, quem Cleophantus curabat, venenum daret. Servus frugi & integer, rem omnem ad Cleophantum Dominum detulit, qui deinde Avitum, ut parerat, monuit, & incolumem
23 ſervavit. Tenetur autem Medicus, qui in his peccarit, lege Julia de Sicariis, & capitis fit damnas. *Homicidii enim crimen eſt in ſalute hominis peccare*, inquit Theodericus, Gotthorum Rex, apud Caſſiodorum Variar. lib. VI. Epiſt. XIX. & *plus eſt hominem exſtinguere veneno, quam occidere gladio*, ut habet reſcriptum Antonini Imp. L. I. Cod. de Malef. & Mathemat. Præſertim ſi id fiat à Medico, à quo ſalutem exſpectas, & cujus *medicamenta veluti Deorum manus* eſſe debebant auxiliares. Hinc illa Caroli V. Imp. Conſtitutio in Ordin. Crimin. artic. CXXXIV.

Hette ein artzt die todtung williglich gethan / ſo were er als ein furſetzlicher mörder zuſtraffen.
24 Sed pergamus ad cætera contextus verba. Ξυμβελίη, ſive συμβελίη, Latinis eſt *conſilium*, à συμβελλόω, quod eſt *conſulere*, *cenſere*, *auctorem eſſe*; ὑφηγεῖσθαι vero *commonſtrare*, *oſtendere*, *dare*, *ſuadere*, *hortari* aut *auctorem eſſe*, ut docuit nos pluribus Guil. Budæus in Comm. Ling. Græcæ. ὁ χαριέσταλος Medicorum, Heurnius, οὐδὲ ὑφηγήσομαι. interpretatur ἑτέροις οὐκ εἰσηγήσομαι, *aliis conſilio meo non præibo*. Vt enim Plutarcho, in Pompeio, ὑφηγεῖσθαι ὁδὸν, eſt *commonſtrare viam*: ita hoc in loco ὑφηγεῖσθαι συμβελίαν, eſt *dare conſilium*, *demonſtrare*. Ita enim reddidiſſe etiam videtur Scribonius Largus, loco antelaudato, ubi de jurejurando hoc verba faciens, ait *in eo ſanctum eſſe ne prægnanti medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demon-*
25 *ſtretur à quoquam medico*. Cum Tacito, Annal. lib. IV. & XII. ubi de Eudemo Liviæ, & Xenophonte Claudii Medico agit, *in conſcientiam adhibere*, & *in conſcientiam ſumi*, & Annal: lib. II. *conſcientiam ſceleris*, & Hiſt. lib. I. *conſcientiam facinoris*, dixeris. Cicero in Orat pro A. Cluent. *conſilia & conſcientiam facinorum*; Columella lib. I. de re ruſt. *conſcientiam fraudis*; Minutius Felix Octavio. *conſcientiam ſceleris* vocavit. Non tantum enim

Hip-

©BIU Santé

Hippocrates diſcipulos adigit ut jurent, ſe medicamentum mortiferum nemini daturos, ſed neque, ut detur, alicui velle dare, oſtendere, auctorem eſſe, conſcire, aut conſentire. Huc reſpicit Caſſiodorus, loco quem dixi, quando ait: *Si homicidium facere nullo modo licet, nec intereſſe omnino conceditur, nec conſcientiam perfundat omnis cruor.* Neque aliam ob cauſſam Galenus 26
lib. de medic. fac. parab. cap. XXVII. & Oribaſius lib. de morbor. curat. cap LXIII. etiam de venenis fuſius ſe acturos negant, quod prævideant male faciēdi occaſionem, quæ tractationi ei poſſit accedere, ſi qui male facere voluerint. Et lib. x. de ſimpl. med. fac. in princ. Galenus idem ait, *non minus odio habendos eſſe, qui venenis aliquid patrant, quam qui eorum uſum docent, & ſcriptis produnt, immortali malitiæ ſe obligantes, dum arma pravis hominibus ad male agendum ſuppeditant.* Adde quæ Scribonius Largus habet libri ſui cap. LXVII. Veneficus nempe non ſolum 27
is dicitur, & lege Cornelia de Sicariis tenetur, qui malo animo medicamentum alicui propinat, ſed & ille, *qui hominis necandi cauſſa*, ut Marcianus I C. loquitur L. I. & III. D. ad L. Corn. de Sicar. *venenum confecerit, vendiderit, vel habuerit*; & pari loco habet Iuvenalis Sat. XIII.

—— *Artifices, mercatoremque veneni.*

Repetijt eadem Carolus V. Imp. in Ordinat. Crimin. artic. CXXX. etiam olim apud Iſraelitas lege cautum fuit, ne quis venenum lethale, aut in alios uſus noxios paratum, penes ſe haberet; quod ſi quis habere deprehenſus fuiſſet, morte mulctabatur, ut memoriæ prodidit Ioſephus, Antiq. Iud. lib. IV. cap. IIX. quemadmodum & aconitum poſſidere, capitale fuiſſe, auctor eſt Theophraſtus Hiſt. plantar. lib. IX. cap. XVI. *Venenum* 28
nempe *leges habere, emere, noſſe denique vetant*, inquit Quinctilianus, declamat. XIII. & *pigmentarii*, ut iterum ait Marcianus, *ſi cui temere cicutam ſalamandram, aconitum, pityocampas, bupreſtin, mandragoras, cantharides, aut quid luſtramenti dederint, pœna Legis Corneliæ tenentur.* Itaque nunquam Lex ea abſolviſſet Statium 29
An-

©BIU Santé

Annæum, amicitiæ fide & arte Medicinæ Senecæ probatum, si quis eum postulasset, quod *oranti patrono, ut provisum venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio extinguerentur, promeret, id attulisset*, quæ verba sunt Taciti Annal. lib. xv. Nec enim dare debuerat, sed negare venenum; aut innoxio medicamento
30 substituto, orantem fallere. Vt enim dicebat Siciliæ Rex apud Nicetam, lib. I. Hist. Isaaci Ang. cap. III. Μηδὲν ἀλλοφρόνει, τὸ φονεῦσαι, καὶ φόνῳ διδάσκειν σεσωφρακέναι. & Vlpianus L. XV. D. eod. *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat*; quod Canones etiam volunt, c. sicut dignum. de homicidio. Quanquam idem Vlpianus L. IX. in princ. D. ad L. Aquil. *multum interesse* ex Labeone IC. dicat; quod *is, qui malum medicamentum supposuit, aut eo unxit, occidat: qui vero dat, ut offeratur, causam magis det, quam occidat, atque ideo hoc casu in factum actionem*
31 *dandam censeat*. Cæterum an ὑφηγήσεως etiam crimen subisse dicemus, sive *conscientiæ*, aut *demonstrationis*, *Archigenem* Hadriani Imp. medicum? Xiphilinus in Epit. *Hermogenem* vocat. De eo enim Dion Cassius lib. LXIX. ait, quod Hadriano, vitæ pertæso, sub sinistra mamilla locum indicarit, qui deinde loco commonstrato, in extremo hydropis morbo servo se necandum obtulerit. Dico subisse id crimen, si Imperatori talem locum in sui perniciem scire desideranti, scius volensque indicavit: purum vero esse secundum conscientiam, si vel longo ante tempore, vel per discursum, aut etiam proposiți Imperatorii inscius, locum eundem illi commonstrarit. Nam ut Seneca dicebat Rhetor, Epit. l. III. controvers. IX. *etiam ubi remedium est mori, scelus est occidere*. Ac *licet iis, qui misere vivunt, mori beatum sit; Medico tamen nobili mortem inferre, aut docere, nefas*
32 *ducitur*, ait Aretæus lib. VI. cap. VI. Quæritur autem porro, an Medicus, quum vi jurisjurandi Hippocratici, omni veneni exhibitione ipsi sit interdictum, recte faciat, si ad mortem damnato venenum præbeat, sive veneni cujuspiam, sive antidoti

virium

©BIU Santé

virium experiundarum id fiat. Equidem recte facere ipſum puto, ſi eo fecerit fine, ut dexterius ſubveniri in poſterum poſſit ægrotis aliis, qui venenum forte hauſerint; ſi fecerit inſuper non proprio collibitu, ſed vel conſentiente Magiſtratu, vel jubente, quod potius eſt, in pnblicæ ſalutis commodum. *Quæ* enim *Reipub. cauſſa fiunt, non ſunt redarguenda*, inquit Paullus, L. quod Reipub. D. de jnjur. Ita Mithridates Ponti, & Attalus Pergami Rex, alexipharmacorum ſimplicium vires in hominibus morti damnatis periclitabantur, referente Galeno lib. de Antidotis cap. I. Iuſſu Clementis VII. Pontif. Max. Romæ, & Imperante Divo Rudolpho II. Pragæ, ut antidotorum famoſorum vis probaretur, damnatis venena ſe præſente exhibita teſtatur And. Matthiolus. Comm. in lib. IV. Dioſcor. cap. LXXIII. Anno CIↃ. IↃ. LXXX. Wolffgangus Comes Hohenloius, ut terræ ſigillatæ Sileſiacæ virtutes probaret, furi ad furcam damnato Mercurii ſublimati drachmam ſemis, & ex intervallo duplum terræ ſigillatæ in vino veteri Medicos exhibere juſſit; fure poſt exantlata graviſſima ſymptomata, & morti & furcæ ſe ſubducente, ut refert Andr. Berchtoldus Tract. de Terra ſigillata. In Galliis, quum non pauci calculo laborarent, Sagittarium Modunenſem, latrocinio infamem, & calculoſum, morti adjudicatum, ſibi dedi rogarunt Medici, & impetrarunt, ut ventre viventis reſecto calculum, calculique locum, aliorum ſimul ſaluti inveniendæ perquirerent: qui mox calculo reperto & extracto, non tantum ſanitati hominem reſtituerunt, ſed ſententia etiam Iudicii reſciſſa, ſupplicio capitali ſubtraxerunt, & ut magna pecuniæ ſumma donaretur, effecerunt. Meminerunt Hiſtoriæ Ambr. Paræus lib. XXIV. cap XIX. Franc. Rouſſetus Tract. de partu Cæſ. ſect. III. cap. VII. & Io. Riolanus fil. Anatomicus celeberrimus, Anthropographiæ lib. I. cap. X. Verum enim hic eſt, quod Corn. Celſus ait, in præf. lib. I. *crudele non eſſe, hominum nocentium, & horum quoque*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 145 sur 248

©BIU Santé

& aucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quæri. Neque hoc modo peccatur in ſalutem hominis, quod homicidii crimen paullo ante diximus. Damnati enim illi, jam tum ſervi erant pœnæ, antequam necarentur, *homineſque ſacri*, hoc eſt, ut Feſtus explicat, *à populo judicati ob maleficium*, quibus occiſis, ut lex habebat Tribunicia, reus parricidii damnari non poterat. Ne dicam mitius ſecum agi putare ipſos damnatos, ſi in carceris ſecretis veneno perire jubeantur, quam ſi in crucem aut furcam ſublati, æque magnos ſuſtineant cruciatus,
33 maioremque in omnium conſpectu ignominiam: ſpe interim ipſos conſolante, fieri etiam poſſe, ut exhibito ſimul cum veneno antidoto ſerventur, vitamque ex ipſis Orci faucibus, ſpolii inſtar ſecum aſportent. Alia longe res eſſet, & maximum profecto conſcientiæ ſcrupulum injiceret, ſi quis *Herophilum* imitatus, aut *Iacobum Carpum*, aut empiricum illum Bononienſem, *Leonardum Fioravantum* horrendo auſu viventium corpora ferro aperiret, & in viſceribus ſpirantium latentia, digitis oculiſque crudelibus rimaretur. De Herophilo certe Corn. Celſus loco adducto refert, quod *nocentes homines, ex carcere acceptos, vivos inciderit, ut conſideraret, etiam ſpiritu remanente, ea, quæ natura*
34 *arte clauſerat.* De Carpo auctor eſt Gabriel Falloppius, lib. de morbo Gall. cap. LXXVI. *quum infenſus eſſet Hiſpanis, geminos ex eis, laborantes morbo gallico cepiſſe, & vivos anatomicis adminiſtrationibus deſtinaſſe; eamque ob rem patria profligatum, Ferrariæ obiiſſe.*
35 Fioravantus ipſe, lib. II. Chirurg. cap. IX. *non mortuos tantum, ſed vivos in bello contra Mauros infideles ſe incidiſſe* gloriatur. Sed *carnificis* hoc munus eſt, aut *lanii*, ut Herophilum vocat Tertullianus lib. de an. cap. X. ſeu *medici latrocinantis*, quam vocem uſurpat Celſus, loco dicto.

CAP.

©BIU Santé

CAPVT DECIMVM QVINCTVM.

Ὁμοίως δὲ γυναικὶ πεσσὸν φθόριον δώσω· ἁγνῶς δὲ καὶ ὁσίως διατηρήσω βίον τὸν ἐμὸν· καὶ τέχνην τὴν ἐμὴν, &c.]

SUMMARIA.

1. Πεσσοὶ & πεσσὰ communiter. 2. Peſſi & peſſaria Medicis. 3. πεσσθετα. 4. ἐγκολπισμοὶ à peſſariis differunt. 5. πεσσεύω, βάλανος. 6. πεσσὸς φθόριος. 7. φάρμακα φθόρια. 8. Ejicere. 9. ἀμβλωτικὰ. 10. ἀγώγιμα. 11. Poculum abortionis. 12. abortus. 13. ἐκτρωσμὸς, ἔκρυσις, ἄμβλωσις. 14. ἔκρυσις differt à cæteris. 15. abortus & aborſus differunt. 16. Feminarum maximum munus, accipere & tueri conceptum. 17. Abortum provocare, ſummum ſcelus. 18. Hippocratis religioſitas. 19. Sub peſſo corruptorio etiam alia φθόρια comprehenduntur. 20. Hippocrates ex Scribonio explicatus. 21. Galenus Hippocrati ὁμόψηφος. 22. Excuſſi fœtus pœna in ſacris litteris. 23. Ex Canonum jure. 24. Sixti V. Bulla. 25. Solonis & Lycurgi in abortionum auctores animadverſio. 26. Iuris Civilis ſanctiones variæ. 27. Valentiniani, Valentis, & Gratiani decretum. 28. Supponere peſſum φθόριον, & dare ut ſupponatur, an differant? 29. Canonum ſententia. 30. Conſcientiæ ut conſulendum? 31. Abortum quando procurandum non nulli putaverint? 32. Et quidem Hippocratis exemplo muniti. 33. & Exodi loco ſuper diſtinctione fœtus formati à non formato. 33. quam Canones etiam recipiunt. 35. & Conſtitutiones Imperii. 36. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. 37. Parvitas uteri non eſt cauſſa, ob quam excuti debeat fœtus. 38. Feminæ etiam parvæ ſæpe ſine periculo pariunt. 39. Uteri parvitatis an certa ſint ſigna? 40. Anguſtia colli uteri non indicat fœtus corruptionem. 41. Feminæ ἄτρητοι, imperforatæ. 52. Sectionis Cæſariæ in gravidis adminiſtratio. 43. Ob veſicam imbecillem non provocandus abortus. 44. nec ob morbum matris acutum. 45. Abortus per ſe periculoſi: 46 & magis accedente morbo acuto. 47. ἔκρυσις in gravida non ſolicitanda. 48. Tertulliani de hoc ſententia. 49. Hiſtoriam Hippocratis de Pſaltria, ut quidam excuſent? 50. liber de natura pueri an Hippocratis? 51. Exodi locus ſub trutinam vocatus. 52. Græci interpretis

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 147 sur 248

©BIU Santé

pretis ſententia. 53. *&* *Latini.* 54. *Græca tranſlatio non authentica.* 55. *Textus Hebræus ad verbum redditus.* 56. *Rabbi Aveneẓra & Salomon notati.* 57. *Hebraici textus ſenſus.* 58. *Dionyſii Richel, & aliorum ſententia.* 59. *Fœtus quo tempore animetur.* 60. *an circa xxx. vel xxxv. diem?* 61. *Probabilius eſſe, citius fœtum animari.* 62. *Et quidem in ipſa ſtatim conceptione.* 63. *Sixti V. Bulla laudata.* 64. *Diſputationis concluſio,* 65. *Hippocratis ſententia aurea.* 66. *à Zuingero explicata.* 67. *Zenonis Alexandrini laus.* 68. *&* *Daphni Epheſii.* 69. *&* *Iamblichi.*

1 Πεσσοὶ, & πεσσὰ, communiter Græcis dicebantur *calculi lu-*
ſorii, aliquando etiam ipſe *calculorum ludus*; quod docent Heſychius, Euſtathius, & Etymologici Auctor, vocemque deducunt ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod futurum eſt à πίπτειν, tanquam inter
2 jaciendum calculi decidant. At Medicis πεσσοὶ, quæ & πεσσάρια adpellant, remediorum ſunt formulæ, in mulieribus intra uterum, parteſque illas, qua ſunt fœminæ, adhiberi ſolitæ. Atque ut ex Paullo Ægineta, lib. III. de re Med. cap. LXI. colligere licet, erant olim peſſi lana pexa, vel aliud quidpiam, quod tereo pyramidali figura, & in digiti humani formam effingebatur, excipiendis medicamentis, quæ, pro diverſa intentione Medici, utero ad ejus adfectus neceſſum videbatur im-
3 mitti. Hippocrates in libris de morb. mul. & ſæpe alibi, atque etiam Ariſtoteles lib. II. de gen. an. cap. IX. vocant alio nomine πεσσόθετα, *ſuppoſitoria* nempe, aut *ſubdititia*; eodemque
4 ſenſu Dioſcorides lib. I. cap. XV. & alibi, πεσσήματα. Aliis ἐγκολπισμοὶ dicuntur, quod *intra pudoris ſinum* applicentur. Quanquam Theod. Priſcianus lib. III. Gynæc. cap. IV. diſtinguere videatur inter ἐγκολπισμὸν, & πεσσάριον. Ait enim; *Prius encolpiſmo uti convenit, & poſt matricis delavationem, ex eodem medicamento ſpiſſiore peſſarium exhibere.* Ut ita *encolpiſmus* ſit medicamentum liquidum, ac veluti clyſter, qui utero colluendo immittatur; *peſſarium* vero ſolidius, & tale, quale jam ex
5 Paullo deſcripſimus. Hoc à forma virilis faſcini, aliis etiam

πεσσα-

©BIU Santé

πεσσόσκον, & πεσσόσκοπον nominari invenio. Cælius Aurelianus Chron. lib. IV. cap. VII. βαλάνυς vocat, & βαλανισμὸς. Peſſus vero φθόριος, ſive *corruptorius*, ἀπὸ τοῦ φθείρειν dictus, ille eſt, qui in gravidis tantum, nec alio fine adhibetur, quam ut id, quod utero conceptum eſt, corrumpatur. Plutarchus lib. de Fortuna, non peſſos hoſce tantum, ſed quævis alia medicamenta, quibus fœtus ejicitur, φάρμακα φθόρια vocat: Dioſcorides lib. II. cap. LXIII. atque idem Plutarchus loco adducto, ἐκβόλια, quæ Latine dixeris *ejectoria*. Siquidem *ejicere*, Latinis verbum eſt, quod abortum reſpicit. Unde in L. fornacarius. ad L. Aquil. *Si mulier pugno, vel equa ictu à te percuſſa, ejecerit, &c.* & Plinius lib. XIV. cap. XIIX. uvam in Ægypto, abortum facientem vocat *ecbolimam*, ſive ut alii legunt, *ecbolada*, ἀπὸ τοῦ ἐκβάλλειν, eodem ſenſu; qua de re vide magnum Budæum, in annot. prior. ad Pandect. Hippocrates lib. V. Epid. aph. LIII. & lib. VII. aph. LXXXIII. ἀποφθαρμα, vocat medicamentum ejectorium; ἀπὸ τοῦ ἀποφθείρειν, quod eſt *diſperdere*. Attici, teſte Galeno lib VI. Epid. I. comm. text. I. medicamenta eadem appellabant ἀμβλωτικὰ; Suidas & Pollux lib. IV. cap. XXVI. ἀμβλωθρίδια. Xenocrates apud Galenum lib X. de ſimplic. medic. facult. in princ. ἀγώγιμα, hoc eſt, *ſubducentia*, vocis ſignificatione leniori magnitudinem ſceleris extenuante. Paullus I C. L. XXXIIX. §. qui abortionis. D. de pœnis, quod ſæpius per os adſumptis medicamentis & potionibus conceptus abigatur *potulum abortionis* vocavit, id quo fœtus perditur. Eſt autem *abortio* ut Galenus lib. VI. Epid. comm. I. text. II. definit, *imperfecta fœtuum emiſſio*, ſive fœtus immaturi ante juſtum legitimumque terminum ejectio. Græcis dicitur ἔκτρωμα, ἐκτρωσμὸς & ἔκρυσις: Hippocrati ἀποφθορὰ, ſeu *deperditio*. lib. VI. Epid. ſect. I. text. II. Atticis, teſte Galeno in comm. ἄμβλωσις; item ἀμβλύωσις & ἀμβλυωσμὸς, teſte eodem in explic. vocum obſolet. Hipp. Antiphoni apud Pollucem lib. II. cap. II ἄμβλωμα, ab ἀμβλίσκειν, ἀμβλώσκειν, ἀμβλυσκάνειν,

1 Une poche qui dey supportoirs anaux.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 149 sur 248

©BIU Santé

quæ idem quod φθεῖραι, ut tam apud Pollucem eſt, quam apud
14 Suidam. Ubi hoc tamen notandum, Hippocratem lib. de ſeptim partu; & ex ipſo Ariſtotelem, lib. VII. de nat. animal cap. III. ἔκρυσιν (quæ vox proprie *effluxionem* ſignificat) eam tantum vocare conceptus ejectionem; quæ intra ſeptimum fit diem; ἐκτρωσμὸν autem, & ἄμβλωσιν, illam quæ intra quadrageſimum. Latini *abortionis*, *abortus* & *aborſus* vocabulis utuntur.
15 Diſtinguit tamen Nonius Marcellus inter *abortum* etiam, & *aborſum:* aborſumque dicit eſſe, qui primis fit menſibus, ubi conceptui factum eſt exordium; abortum vero, qui prope
16 tempus pariendi obvenit. Quemadmodum autem *maximum & præcipuum munus fœminarum eſt, accipere & tueri conceptum*, ut
17 inquit Ulpianus, in L. quæritur. D. de ædilit. Edict. ita ſummum ſcelus eſt abortui conciliando operam dare, ſive mulier ipſa viſceribus ſuis vim intulerit, ſive alterius auxilio conceptum abegerit. Neq; enim ab homicidio abit, ubi vita adimitur ei, cui non nos, ſed natura Deuſque illam elargitur, unaque opera, ut Cicero ait, in Orat. pro A. Cluentio; *ſpes tollitur parentis, memoria nominis, ſubſidium generis, hæres familiæ, deſignatus Reipub. civis*; ipſi denique matri ex abortu periculum arceſſitur manifeſtarium. Ne dicamus, qui Chriſtiani ſumus, de ſanctiſſimo lavacro regenerationis, quo fœtus in peccato originali
18 conceptus, data opera privatur. Religioſior divinus fuit præceptor, quanquam Ethnicus, atque uti omnibus aliis in rebus pietatem ſemper ob oculos habuit, caſtamque & ab omni ſcelere puram, tum vitam, tum artem ſuam ſervare annixus fuit: ita hoc etiam in loco ſimpliciter, ſine ulla circuitione, mu-
19 lieri *peſſum corruptorium* ſubdere nefas putavit. Ac licet peſſum tantum corruptorium nominet, nihilominus tamen medicamenta omnia alia, quæ conceptum abigunt ſub illo ſunt intelligenda. Quum enim non alius peſſus hic ejuretur, quam qui ſit φθόριος, ſeu *corruptorius*, neque id aliam ob cauſſam, quam quia corruptorius; facile liquet, una opera medicamenta etiam omnia

©BIU Santé

omnia alia, quæ parilem vim ſortiuntur, ejurari. Unde Scribo- 20
nius Largus, Epiſt. ad Jul. Calliſtum. πεσσὸν φθόερον Hippocratis
interpretatur nõ *peſſum*, ſed *medicamentum quo conceptum excutitur*;
Theod. Priſcianus Gynæc. lib. III. cap. VI. ſimpliciter *abor-*
tivum. Præceptori ac Dictatori conſentanea ſenſiſſe Galenum 21
ex lib. de ſimpl. med. fac. in pr. ſatis liquet; ubi graviſſime in-
vehit in Xenocratem medicum, quod medicamenta, amorem,
aut odium, aut ſomnum inducentia, & abortifera temere con-
ſignarit atque evulgarit. Nam & ignominiæ id ipſi eſſe docet ac
dedecori, ac ſi exhibeat, hominem impijſſimũ vocat, & ſummæ
malitiæ, omnique odio proſequendum. Nec defuerunt officio
ſuo illi, quibus incumbit operam dare, ne delicta maneant im-
punita, ſive ſacras litteras, ſive Canonum decreta conſulas, aut 22
legum civilium. Exodi enim cap. XXI. verſu XXII. *qui mulierem*
percuſſerit prægnantem; ut egrediantur nati ejus, nec mors ſubſequatur,
puniendo, puniri jubetur, & dare judicibus; ſi vero mors ſubſequuta
fuerit, animam dare pro anima; ut ſonant verba textus Hebræi,
de quo poſtmodum plura addemus. Canones vero, *qui abor-* 23
tum procurat, & ſterilitati venena exhibet, homicidam eſſe, ajunt, *&*
mortaliter peccare. XXXII. quæſt. II. aliquando &c. ſi aliquis. de
homicidio. quo reſpectu in Synodo Conſtantinopolitana VI.
Can. XCIII. ſancitũ, τὰς τὰ ἀμβλωθρίδια διδόσας, & τὰς δεχομένας,
τῷ τῆ φονέων ἐπιμίᾳ καθυποβαλεῖν; *tam eas quæ propinant, quam*
quæ adſumunt abortiva, homicidarum pœnis ſubjiciendas. Eoſdẽ Con-
cilium Ilerdenſe Can. II. *ſi pœnitentes ad Eccleſiæ manſuetudinem*
redierint, omne vitæ tempus reliquum in fletu & humilitate tranſigere
jubet. Sixtus vero V. Pontifex in Bulla quam IV. KAL. IX BR. 24
publicavit, Anno cIↃ. IↃ. XX CIX. eoſdem ſimpliciter punien-
dos ſancijt, ut homicidas qui voluntariũ homicidium actu pa-
trarint. Ex Legumlatoribus & Jctis, Solonẽ olim, & Lycurgum, 25
in abortus auctores indicta pœna advertiſſe, teſtatur Auctor li-
bri Galeno adſcripti, an animal ſit, quod in utero contin. cap v.
In jure Romano nonnulli olim ſatis remiſſe id crimen punien- 26
dum

©BIU Santé

dum censuerunt. Vlpianus quidem L. IV. D. extraord. crimin. & L. si mulierem. D. ad L. Corn. de Sicar. *mulierem, si visceribus suis vim intulisse consliterit, quo partum abigeret, à Præside Provinciæ in exilium* saltim *exigendam* putavit: idque adhuc *temporale* tantum debere esse, Tryphonianus I C. voluit, L. XXXIX. D. de pœnis. *si factum fuerit à muliere post divortium prægnante, nec marito jam inimico filium parere cupiente.* Paullus vero L. XXXIIX. D. eod. severius animadvertendum ratus, abortionis poculum dantes, *licet dolo non faciant, tamen quia mali exempli res sit, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegari, sin mulier aut homo*
27 *eo perierit, summo supplicio adfici decrevit.* Valentinianus vero, Valens & Gratianus A. A. A. *infantis necandi piaculum aggressos* simpliciter *supplicio capitali puniendos censuerunt*, ut est in L. pen. C. ad L. Corn. de Sicar. Cicero insuper, in Orat. pro A. Cluentio, & ex ipso Tryphonianus loc. cit. notarunt, *mulierem Milesiam, quod ab hæredibus secundùm accepta pecunia partum sibi medica-*
28 *mentis ipsa abegisset, rei capitalis damnatam.* Et de *obstetrice* Ulpianus L. IX. in princ. D. ad L. Aquil. *si medicamentum dederit, & inde mulier perierit*, ex Labeone distinguit ut *si quidem suis manibus supposuit, sive pessum subdidit, videatur occidisse; sin dedit, ut mulier sibi offerret, in factum actionem esse dandam; quod hoc casu*
29 *causam mortis potius præstiterit, quam occiderit.* Quam tamen distinctionem Canones vix admittent, nihilque interesse censebunt, sive pessum quis supposuerit ipse, sive supponendum dederit & suaserit. In Concilio enim Lateranensi, sub Innocentio III. simpliciter cautum fuit, *ne Medicus* (quod intellige de quovis etiam alio) *sub interminatione anathematis pro corporali salute ægroto aliquid vel suadeat saltim, quod in periculum animæ*
30 *cedat.* C. cum infirmitas XIII. de pœnitent. & remiss. Et licet de jure civili, & in foro contentioso, ubi agitur ad pœnam, interpretatio fieri possit in partem mitiorem, L. XLII. interpretatione. D. de pœnis. in foro tamen conscientiæ, ubi agitur de

©BIU Santé

de placando Deo, & emendatione, quivis qui abortui quovis modo anſam præbuerit, homicidam ſe putare debet. Hoc paſſu enim *maxime eligenda eſt via tutior, atque in dubiis tenendum, quod exiſtimamus certius*, c. juvenis de ſponſal. & matrim *bonarumque eſt mentium, ibi culpam timere, ubi culpa non eſt*, c. ad ejus vero diſt. v. Quanquam vero hæc recte habeant, reperti tamen fuere ab 31
omni fere ævo, qui contrarium licere, certis effictis caſibus, certiſque adductis limitationibus, perſuadere nobis ſategerunt. Inter eos alij licitam voluere abortus concitationem, ſi mulier parva ſit & tenella, nec partus laboribus ſuffectura; ſi uterus fœtæ ſit parvus, qui fœtum ob parvitatem uſque ad juſtum pariendi terminum continere nequeat; ſi collum uteri fit anguſtum, aut intra ſe condyloma habeat, aut ἐμβόλιόν τι, unde in partu poſſit periclitari; ſi veſica ſit debilis, ut ex incumbente utero pleno timeatur ruptura; aut denique fœtus ex ſe ſit moriturus. ut videre eſt apud Aëtium tetrab. IV. ſerm IV. cap. XVI. Theod. Priſcianum lib. III. cap. IV. Moſchionem de adf. mul. cap. XLII. Avicennam lib. III. fen. XXI. tract. II. cap. XII. & XVII. nec diſſentiunt Rhaſes lib. IX. Contin. Halyabbas lib. IIX. Pract. cap. IIX. Recentiores addunt morbum acutum, ſi eo corripiatur prægnans, nec ſubveniri poſſit ægræ ſine fœtus ejectione: inter quos Thomas Cornacchinus Tab. Medic. I. Mart. AKAKIA de morb. mul. lib. II. cap. IV. Anton. Guainerius lib. de ægritud uteri cap. XXX. Alii cum Hippocrate & Ariſtotele inter effluxiones & abortum diſtinguentes, abortionem quidem procurare nefas eſſe, effluxiones autem prolicere licitum putarunt. Trahunt huc inſuper 32
Hippocratem, qui lib. de nat. pueri, part. IV. pſaltriæ compreſſæ conſuluit, ut in terram deſiliret, atque ita genituram ejiceret. Nec longe ab his abeunt, qui ex loco Exodi XXI. 33
ſupra adducto, verſionem ſequuti ſeptuaginta interpretum, ut vocant, elicere conantur, ἔμβρυον ἐξεικονισμένον, ſeu *fœtum formatum*, ejici non debere, conceptum vero nondum formatum,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 153 sur 248

©BIU Santé

nec anima rationali informatum, ſine crimine ad ſalvandam
34 matrem elici poſſe. Hoc docent Canones, cap. ſicut ex litte-
rarum. de homicidio. XXXII. quæſt. II. cap. quod vero &
cap. Moyſes. Hoc voluerunt Antoninus in Summa, part. III.
tit. VII cap. II. §. II. Silv. Prieras, verbo Medicus. quæſt.
35 IV. Navarrus in Manuali cap. XXV. num. LXII. atque alii. Nec
delictum eſſe capitale volunt, Carolus V. Imp. Peinlicher halsge-
richts ordnung art. CXXXIII. & Auguſtus Elector Sax. Ordinat
part. IV. conſtit. IV. Quanquam autem ſpecioſe horum plera-
que proferantur, tamen ſpecie recti fallunt, & facile corruunt,
36 ubi ad veræ rationis trutinam expenduntur. Quia vero pene
omnia hoc nituntur fundamento, licere fœtum ejicere, ut
mater ab imminente periculo vindicetur; merito omnibus in
genere Divi Paulli illud opponimus, ex Epiſt. ad Rom. cap.
III. verſ. IIX. *Non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona; quod*
talium damnatio, ut addit Apoſtolus, *ſit juſta*. Valde enim fal-
litur Plutarchus, lib. de ſera Num. vindicta, quando ait, in
Medicina τὸ χρήσιμον & δίκαιον εἶναι, *quod utile ſit, etiam juſtum eſſe*.
Licet namque in iis forte, quæ Plutarchus ibi adducit, id locum
habeat, dum ridiculum eſſe notat, ſi quis injuſte fieri dicat,
quod coxendicibus laborantibus inuratur pollex, aut jecinore
vitiato venter incidatur circa umbilicum; tamen in iis quæ
cum vitæ fiunt diſcrimine, & conſcientias cauterio inurunt,
37 idem tentare minime licebit. Atque hoc poſito facile fuerit ad
argumenta adducta reſpondere. Nam quod primo de fæmina
tenella, & uterum parvum ſortita, adferebatur; ſatius eſſe, ut
ſi conceperit, ante tempus conceptum excutiatur, quam in par-
tu illa periculo exponatur: id tanti non eſt, ut abortum ſuadere
debeat aut poſſit. Uteri quidem ob parvitatem abortum ali-
quando contingere, Hippocrates jam olim docuit, lib. I. de
morb. mul. & lib. de ſuperfœt. non tamen perpetuum id eſt,
aut neceſſarium, ſed contingens Experientia enim docet,
ſæpius fœminas tenellas, & debiles ſatis, hoc ævo, præſertim
in

©BIU Santé

in magnatum familiis, duodecimo aut tertiodecimo anno nuptum locari, annoque vix evoluto fœtum vivum parere citra detrimentum. Vnde Ariſtoteles loco adducto, puellas parvas facile quidem abortire dixit, & in partu magis laborare, & earum plures obire, non tamen ſemper, neque omnes: quibus proinde optime conſuluit oraculum Trozeenum, ne immaturæ nuberent. Si hiſtorias conſulere velimus, exempla occur- 38
rent, quæ fidem pene omnem ſuperent, multaſque anno v. VI. VII. IIX. IX. X. peperiſſe aut parère ſolitas diſcemus, ex Plinio lib. VII. cap. II. Arriano rer. Indic. cap. CLXXIV. Sigiſmundo Barone, Comm. rer. Moſchovit. pag. CIV. Alberico Roſate, in Indice, in verbo Matrimonium. Aloyſio Cadamuſto, Navigat. cap. LXXV. Augerio Busbequio, Legat. Turc. Epiſt. III. Jo. Schenckio, Obſerv. lib. IV. & aliis, ut pluribus docuimus in Diſquiſit. Medic. de utero gerent. III. Quæ omnia docere poterunt, non impoſſibile eſſe, fœminam parvam, aut uteri parvi, parere ſine periculo, & fere proportione correſpondere utero magnitudinem fœtus, nec majus hunc ſumere incrementum, quam uterus ambiens, ejuſque capacitas, ipſi concedat, quod manifeſte tradidit Ariſtoteles, ſect. X. probl. XIV. cui adde, quæ docet Carſias Carrerus, Diſp. med. ad Gal. de loc. adf. LXXV. cap. III. num. IX. Et quibus quæſo 39
ſignis fœminam cognoſces uterum habere parvum? Nulla enim auctores ab omni ævo conſignarunt, nulla hactenus novimus. Niſi cum Lud. Mercato dicere velimus, parvi uteri ſignum, eſſe abſentiam omnium ſignorum, quæ aliis adſignantur cauſſis, lib. IV. de adf. mul. cap. II. Pone tamen fœminam eſſe tenellam, quam ſcias uterum habere parvum, & concepiſſe. Ea, quum & ſine periculo poſſit parere, ut exempla docent, forte etiam periculum incurrere, annon rectius feceris, & melius conſulueris conſcientiæ, ſi totam rem naturæ committas, atque ea adhibeas remedia, quæ fœtum matremque confortare, uterum dilatare, ac partum ſuo tempore facili-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 155 sur 248

©BIU Santé

tare queant, quam si maximo conscientiæ vulnere vitam adimas fœtui, vitæque periculum una eademque opera accersas matri. Recte D. Ambrosius lib. de Offic. ut refertur in cap. denique. XIV. quæst. v. *Si alteri*, inquit, *subvenire non potest, nisi*
40 *alter lædatur, commodius est neutrum juvare.* Quod de angustia colli uteri, atque ei adnato tuberculo afferebatur, non majoris est ponderis. Angustia enim illa (sive à natura talis, sive à tuberculo) si magna fuerit in fœmina, non conceptum tantum impediet, sed omnem etiam cum viro congressum. Quale quid iis accidere solet, quæ vitio laborant, quod Arabes *Atraticam*,
41 interpretes *clausuram* vocant; fœminas vero eo laborantes Græci ἀτρήτους, seu *imperforatas*, Latini *concretas* adpellant. Solinus cap. IV. *conserto virginali*, Cicero lib. II. de Divinat. *obsignata vulva* natas dixit. Quo modo natam Corneliam Gracchorum matrem, auctor est Plinius lib. VI. cap. XVI. meminerat que adfectus ejus jam pridem Aristoteles Hist. anim. lib. X. cap. IV. & lib. IV. de gen. anim. cap. IV. & nos in duabus puellulis eundem observavimus, & ministerio λιθοτόμου corrigendum curavimus. Sin parva fuerit angustia, ignorabitur fere, nihilque aliud eam consequetur, quam partus forte difficilior, quem, si causam cognoscat Medicus, omnibus modis faciliorem reddere prudentiæ suæ industria adnitetur. At si non quidem magna sit angustia, talis tamen, quæ periculum in partu minetur, id facile mulieri innotescet ex molestia & difficultate, quam in venerio congressu percipiet, atque ideo opem implorabit Medici aut Chirurgi, qui eam, si necdum conceperit, periculo denunciato, jubebunt à congressu abstinere, donec debitis medicamentis impedimentum possit auferri: sin jam conceperit, intervallo gestationis operam dabunt, ut quovis modo ante instans partus tempus tuberculum exstirpetur, tanquam quod sui tantum amolitionem, non fœ-
42 tus deperditionem indicet: aut si contumax id nimium fuerit, & rebelle, omnemque Medici operam respuat, potius, quam ut abor-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 156 sur 248

©BIU Santé

abortum quis provocet, fœtus jam maturus & ad exitum pronus, *ſectione* illa extrahi curetur, quam *cæſariam* vocamus, quamque citra periculum eſſe, ſi dextre adminiſtretur, ac fœtum ea, matremque feliciter ſalvari, pluribus docuere, qua rationibus, qua exemplis, Franc. Rouſſetus. lib. de partu Cæſar. & Caſp. Bauhinus ibi in Adpend. Ob veſicam debilem, ne ab 43
incubitu & pondere uteri pleni rumpatur; aut ſi fœtum ex ſe moriturum ſciamus; Avicenna abortum provocare licitum putavit. At quænam utriuſque, tum veſicæ adeo imbecillis, tum fœtus morituri ſunt πυμήλια? Sane fœtum ſæpe, quem moriturum ars ex ſignis conijciebat, adhibita auxilia Deo favente ſoſpitarunt. *Sanantur* enim *interdum ægritudines*, ut dicebat Averrhoës lib. VII. Coll. cap. XXXI. *quibus nec Medicus, nec natura videbantur ad curam ſufficere*; Conſimilique id modo fieri putat, quo *aliquando in rebus naturalibus monſtra*. Veſica inſuper licet imbecillis, ex ſua natura oneri prementi cedit, & preſſa ſubſidit, urinamque tantum ſæpius deponit, quod pleriſque gravidis familiare eſſe novimus; & in non gravidis etiam uſu venire, ſi uterus tumore præter naturam correptus, veſicæ incumbat, exemplo docet IC. Claudinus, Conſult. Med. XVI. Præterea fœtus moriturus non certum ſimul ponit matris interitum: quum illo exſtincto, hæc nihilominus ſalvari queat, nec fas ſit, ad interitum ambiguum præcavendum, abortum concitare, ac certo periculo ambiguum prævertere. Multomi- 44
nus ob matrem morbo acuto laborantem abortivis utendum fuerit, quum illa hoc modo non tam ſæpe ſervetur, quam in manifeſtarium periculum data veluti opera præcipitetur. Neque enim Medicus ullus in artis operibus tam exercitatus eſt, aut eſſe poterit, qui dum fœtum corrumpit, certo ſibi habeat polliceri, prægnantem ſuperfitem manſuram. Fœtum ſiqui- 45
dem corrumpentia medicamenta, tam matri quam fœtui ſunt inimica, fœminæque fere ſemper in abortu plus laborant, quam in tempeſtivo partu, ſi Hippocrati credimus, lib. I. de morb. mul.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 157 sur 248

©BIU Santé

mul. Ita apud Ovidium lib. II. Amor. Eleg. XIV.

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventri,
In dubio vitæ laſſa Corinna jacet.

Et ſubeſt ratio : partus enim ſecundum naturam fit, & natura cooperante; abortus contra naturam, naturaque renitente, & fœtum, quantum in ſe eſt, ſalvum cupiente nec ante demittente, quam cauſſis, aut etiam medicaminibus corrumpentibus ſuccumbat, cum periculo etiam matris. Siquidem

Sæpe ſuos utero quæ necat, ipſa perit.
Ipſa perit, ferturque rogo reſoluta capillos;
Et meruit, clamant, qui modo cunque vident:

inquit iterum Ovidius, loco laudato, Eleg. XIV. Periitque eo modo Teſimi uxor apud Hippocratem, lib. V. Epid. aph. LIII & VII. Epid. aph. LXXXIII. quum ultro pharmacum corruptorium hauſiſſet. Et non ſine cauſſa Domitianum Imp. fratris filiæ, ut conceptum abigeret coactæ, cauſſam mortis exſtitiſſe refert Suetonius in Domit. cap. XXII. ne alia exempla à Medi-
46 cis petamus. Præterea mulierem utero gerentem acuto morbo corripi, lethale pronunciavit Hippocrates, Sect. V. aph. XXX. & docuit exemplis duarum abortientium, lib. III. Epid. ſect. II. hiſt. X. & XI. item uxoris Olympiadæ, lib. VII. Epidem. Galenus duplicem reddit rationem in comm. dicti aphor. quia nempe, metu abortus, nec venæ ſectionem, nec purgationem in acutis prægnantium ſtatim adminiſtrare, nec tenui victus ratione uti liceat. Quanto igitur, ſi præterea data opera concitetur abortus, res periculi plenior erit? quum Hippocrates loc. cit. aph. L. eas etiam fœminas, quæ febribus lenioribus geſtationis tempore tentatæ abortiuntur, periclitari dicat. Unde ſi quis abortum per ſe periculoſum concitare ſatagat, idque eo tempore, quo ob morbum acutum prægnans eſt in ſummo diſcrimine; quid aliud is aget, quam ut de induſtria, innocentis fœtus cæde patrata, matri inſuper jam fatiſcentem ereptum eat ſpiritum? Neque eſt quod dicas, fœtu ejecto debitis me-

dica-

©BIU Santé

dicamentis expugnari posse acutiem morbi, matremque salvari. Nam id virium deiectio, tum abortum consequens, tum morbum ipsum; tum puerperij fluxus ex abortu copiosus, minime omnium admittent. Sit tamen, qui ex voto sibi successisse abortus provocationem; fœtuque exturbato matremà morbo vindicatam glorietur; *id rectum ex errore erit judicandum*, inquit Rod. à Castro de morb. mul. lib. III. cap XXI. in Schol. quod imitari non licet, nec prudentiæ Medici tribuendum est, sed mul. erum robori, quod erratum medicantis valuit sufferre. Ve- 47
rum & iis satisfacere oportet, qui distinctionem Hippocratis & Aristotelis, inter effluxionem & abortum urgentes, si non abortum, tamē effluxionem citra scelus procurari posse contendunt, & Hippocratis de Psaltria exemplo sententiam suam stabiliunt, quique eodem fere collimant, atque ex adducto Exodi loco fœtum nondum formatum excuti salva conscientia opinantur. Sane distinctio inter effluxionem illa, atque abortum, aut fœtum formatum, & non formatum, recte suas ob causas admittitur. Interim id, quod utero conceptum, etiam eo tempore, quo effluxionis nomine adhuc censetur, vel nondum formatum creditur, medicamentis aut quovis alio modo corrumpere, non magis licet, quam abortum concitare. Siquidem ista omnia, si finem spectes cui fiunt, eodem prorsus tendunt. Ut enim procurato abortu vita tollitur animātis: ita effluxione prolecta spes vitæ & hominis præciditur, argum. L. si quis §. qui abort. D. de pœnis. Et parum profecto interest, primis an postremis mensibus occidas, præsentemve, aut mox affuturam hominis animam perdas, & fœtum sive anima rationali jam informatum, sive conceptum tantum, qui dispositionem tamen habeat, & potentiam proximam ad animam rationalē formamque ultimam recipiendam, nefario abigas conatu. Qui Christiani sumus, audiamus Tertullianum Apologetico. *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec*

©BIU Santé

nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo
49 *est, & qui est futurus, & fructus hominis jam in semine est.* Neque historia de Psaltria, cui saltum dicitur consuluisse Hippocrates, ut fœtum perderet, patrocinari huic sententiæ potest. Neque opus erat tam operose præceptorem excusare, ut fit à Mauritio Cordæo, lib. 1. de morb. mul. com. 111. text. 111. Ioh. Matthæo, Quæst. Med. Lxxxv11. Hier. Mercuriali, lib. 1. de morb. mul. cap. 11. Theod. Zuingero, Comm. in jusjur. Hipp. atque alijs. Homo fuit Hippocrates, & humani aliquid potuit pati; Ethnicus fuit, veræ religionis ignarus; nec factum ejus quodpiam, nisi ex se justum fuerit, pro exemplo
50 nobis obtrudi debet. Ego vero, nisi contrarium mihi demonstretur, libellum de natura pueri, in quo Psaltriæ historia habetur, genuinum Hippocratis fœtum esse vix ausim affirmare. Quanquam enim à Galeno lib. de sem. cap 1v. ut Hippocraticus adducatur; tamen ab eodem lib. de fœt. format. cap. 1. non tam Hippocratis quam Polybi nomine citatur. Andreas vero Cæsalpinus, vir doctissimus, Artis Medicæ lib. 1 1x. cap. 1. Almæoni Crotoniatæ tribuendum censet, quod pullum in ovo nasci ex luteo, augeri ex albumine, in eo statuatur. Hanc enim sententiam Alcmæonis fuisse, Aristoteles testis est, lib. 111. de gen. anim. cap. 11. Stilus profecto maiestatem Hippocraticam non sapit, sed luxuriat, ut sæpe etiam ταυτολογεῖν videatur. *Tum ratio inandi modus*, ut Theod. Zuingerus ait, Comm. ad hunc locum, *crebras ἀναλήψεις & anacephalæoses, repetitiones item, & collectiones ratiocinationum continens, longioribus digressionibus interiectis, ab ejusdem brevitate est alienus. Tum vero illud*, ut pergit Zuingerus, *quod longa admodum digressione Physicam disputationem de terræ calore & frigore interjicit, & si ἀπροσδιόνυσον non sit, ἐξώπροον tamen est.* Computatio insuper mensium in prægnantibus ex mensibus solaribus deducitur, quam fieri ex mensibus lunaribus oportere, solide ostenderat Hippocrates lib. de septim partu. Quin vel ipsa hæc historia, Hippocratis

jura-

©BIU Santé

juramento, vitæque, quanquam Ethnici, illibatæ, ac morum ſanctimoniæ adverſiſſima, fœtus adulterini ſuppoſitionem arguere ſuffecerit. Neque aliter præter Zuingerum, ſenſere non pauci, iique non ex vulgo Medici; Jo. Bapt. Silvaticus Controvers. medic. LXXXII. Horatius Augenius Epiſt. & Conſult. medic. tomo I. lib. XII. cap. V. Franc. Ranchinus Comm. in Iusjur. Hipp. Lege V. quæſt. I. quo etiam inclinat præceptor olim & amicus noſter honorandus, Cæſar Cremoninus lib. de orig. & principatu membror. dict. XVII. Supereſt ut 51
Exodi locum conſideremus, quo illi ſe tuentur, qui nondum animatum fœtum excutere, licere contendunt. Græca quidem verſio, quam Septuaginta vocant, huc manifeſte inclinat. Ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες, καὶ παταξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἐχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτὸ μὴ ἐξεικονισμένον, ζημιωθήσεται, καθ' ὅτι ἂν ἐπιβάλῃ ὁ ἀνὴρ τῇ γυναικὸς, καὶ δώσει μετ' ἀξιώματος. Ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς. Latina verſio vulgata, quæ inepte D. Hieronymo adſcribitur, aliquantum variat: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis prægnantem, & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa* (mulier) *vixerit; ſubiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit ſubſequuta, reddet animam pro anima.* Græci nem- 52
pe interpretis ſenſus eſt; ſi fœtus abortu rejectus nondum fuerit animatus, percuſſorem ad poſtulationem mariti, & arbitrium Judicis; ſin animatus, vita puniri debere. Quam interpretationem ſequitur Theodoretus Quæſt. XLIX. in Exod. & lib. de curandis affection. Græcor. qui eſt de natura hominis, ſerm. V. ut & Auguſtinus Tomo IV. Quæſt. LXXX. At La- 53
tinus interpres percuſſorem ob concitatum abortum, niſi mulier ipſa pereat, arbitraria ſaltim pœna vult adfici; ſin perierit, capitali. Verum Græca tranſlatio (non auctoritate Philadelphi 54
Regis, ut creditum, ſed Judæorum ſuadente utilitate conſcripta, qui parum Hebraice ſciebant, Græce vero loqui & ſcribere à Regibus cogebantur) mendoſa admodum eſt, nec ſemper

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 161 sur 248

©BIU Santé

ad Hebraici textus veritatem accedit, ut ex ipso Judæorum Thalmud Petrus Galatinus pluribus docet, lib. de Arcanis Cathol. verit. De Latina, diserte & libere Joan. Azorius Jesuita, Instit. Moral. lib. IIX. cap. III. *Multi*, inquit, *sunt, qui post Concilium Tridentinum scripsere, ut Vega, Sixtus Senensis, Andradius, Lindanus, Canus, & fatentur esse in vulgata Latina errores, non solum vitio Scriptorum, sed etiam ipsius Interpretis incuria, vel ignorantia*. Operæ igitur pretium fuerit textum Hebræum consulere, atque ad ejus veritatem, tanquam obrussam, versio-
55 nes examinare. Is autem, ut ad verbum rectissime verterunt Xantus Pagninus, Arias Montanus, Emanuel Tremellius, Franciscus Iunius, aliique Hebræælinguæ peritissimi, ita habet: *Quum rixati fuerint viri, & percusserint mulierem utero gerentem, ut exeant nati ejus, & non fuerit mors, aut exitium, puniendo punietur, quemadmodum imposuerit illi maritus mulieris, dabitque juxta judices. Sin autem mors fuerit, dabit animam pro anima.* Neque aliter habet Onkelos, sive Chaldaicus interpres, in translatione, quam Targum vocat. Verba enim illa, אִם לָא יְהֵי מוֹתָא *si non fuerit mors*; & postea אִם מוֹתָא יְהֵי *si fuerit*
56 *mors*; indefinite proferuntur, ut propterea & Rabbi Abenezra, & Rabbi Salomon, in Comm. & Latinus Interpres, male ea
57 ad mortem solius mulieris restrinxerint. Hoc enim vult & Chaldæus interpres: si percussionem mors nulla fuerit subsequuta, puta nec fœtus, nec mulieris, percussorem arbitraria pœna puniendum; quod præter voluntatem mulierem sibi occurrentem percusserit: sin mors alterutrius, aut etiam utriusque fuerit subsequuta, capitali supplicio adficiendum. Quanquam enim percussor imprudens matrem aut fœtum privarit vita; tamen animi atque intentionis ratio habenda, quæ
58 fuit vitam proximi petere. Hinc Dionysius Richel, Carthusianus, Comm. ad hunc locum, *mortem* interpretatur *vel matris vel fœtus jam animati*. Et Thomas de Vio, Cajetanus Cardinalis, *Pondera*, inquit; *Et non erit mors: quoniam negatur mors*

tam

©BIU Santé

tam matris quam prolis. Considerat enim lex ista de percussore mulieris gravidæ duos casus. Alterum, si non erit mors, sive matris, sive prolis, & tunc punietur percussor pœna arbitraria: alterum, si intervenerit mors; & tunc punietur pœna homicidii. Neq; aliter sentiunt, aut rem explicant Corn. à Lapide, Thomas Fienus de format. fœtus, quæst. 11x. sub fin. Tremellius, Iunius, & doctissimus Sixtinus Amama, Anti-Barbari Biblici lib. 11. qui addit, *legem totam esse supervacaneam, si mors de sola multere sit intelligenda; quum hujus occisor lege generali teneatur.* Quæ quidem omnia docent textum Hebræum, sive fontem ipsum, nihil discriminis ponere inter fœtum animatum, vel non animatum, nihilq; ex ipso elici posse, quod fœtus nondum animati excussionem suadeat, sive permittat, aut prædictę opinionis sectariis patrocinetur. Ponamus tamen, licere fœtum nondum animatum aliquam ob caussam perdere. Quęro, quo tempore is animetur? Si enim ex traduce, 59
ut loquimur, propagatur anima, statim traducta cum semine ab initio conceptionis aderit; licet propter organorum defectum operationes ne quidem minimas exercere possit; & propterea excussio ejus, quod conceptum est, etiam primis diebus non abibit ab homicidio. Sin divinitus creando infunditur, & infundendo anima creatur, quæ plurium & olim, & hodie est sententia, quæro iterum, quo tempore præcise infusio ista fiat, quam exacte sciri necessum est, ne animatus fœtus pro inanimato excutiatur? Dicunt communiter, fieri id intra xxx & 60
x1v. diem, quod temporis spatium Hippocrates lib. de nat. fœtus, & ex hoc Medici cæteri, id definiverunt, quo fœtus jam plene conformatus est, omnibusque partibus, quas informare anima debet, insignitus. At quid prohibet, animam 61
etiam ante id tempus infundi, partibus tantum præcipuis delineatis, operationes tamen suas tum primum exercere, ubi organa debitam pro operationibus perfectionem fuerint indepta? Neque enim fœtus. xL. aut circiter dierum, licet plene conformatus, ratione utitur, quæ rationalis animæ propria est

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 163 sur 248

©BIU Santé

operatio ; immo nec ſtatim in lucem editus, licet pridem anima id temporis corpori putetur infuſa ; ut propterea ex partium perfecta conformatione, de animæ præſentia, aut abſentia, nihil certi colligi poſſit. Itaque difficultates haſce perpendens Ferdinandus Mena, Comm. ad lib. Hipp. de ſeptim part. cap. XIV. fœtum voluit animari anima rationali die ſeptimo. Nuper vero Thomas Fienus, vir doctiſſimus, lib. de fœtus format. quæſt. IIX. conclus. XI. pluribus docuit, fœtum animari rationali anima circa diem tertium, aut etiam citius. Im-
62 mo Sennertus ὁ πάνυ, Hypomn. Phys. IV. cap. X. ſolidiſſimis fundamentis oſtendit, animam humanam, ſive per traducem propagetur, ſive à ſummo Numine inſpiretur, ſtatim ab initio, & in ipſa conceptione, aut conceptionis momento adeſſe, operationeſque ſuas exercere. Qua de re etiam vide virum doctiſſimum, Vop. Fortun. Plempium, lib. II. de fundam. Medic. cap VII. Conſideret vero hæc Medicus, atque id eligat, quod eſt tutius, neque ullo tempore abortum provocare
63 in animum inducat. Rectiſſime enim cenſuiſſe autumo Sixtum V. in Bulla, cujus paullo ante meminimus, *ut ſine diſcrimine tum illi, qui fœtum ſive animatum, ſive inanimatum abegerint, ut homicidæ punirentur : tum ij etiam, qui ſterilitatis venena, & potiones mulieribus propinaverint ; vel quo minus fœtum concipiant impedierint ; aut talia facienda vel exequenda curaverint, ſive quovis modo in his conſuluerint.* Ac, licet minus omnino videatur peccatum, ſterilitatem inducere, aut effluxiones ciere, quam abortum prolicere ; aliudque ſit peſſus corruptorius, aliud effluxio, aliud ἀπόκιον, ſeu *ſterilitatis medicamentum :* tamen Pontificem, ut æquali pœna in delicta ſingula animadverteret, vel illud moviſſe puto, quod tum effluxionum citatio, tum ſterilitatis inductio, ſit res mali exempli, quod in cauſſa eſſe ſolet, ut gravius crimina puniantur, arg. Can. præcipue. XI. quæſt. III. Siquidem *plus aliquando malo exemplo, quam peccato,*
64 *noceatur*, ut ait Cicero lib. III. de Leg. Itaque ut finiam, ſive abor-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 164 sur 248

©BIU Santé

abortum Medicorum quiſpiam procuret, aut effluxiones proliciat, aut ſterilitatem inducat, idque animo deliberato, quocunque etiam modo id fiat, quibuſve mediis, ſive etiam ejus rei conſcientiam ſaltim habeat; is nefario ſcelere vitam artemque contaminabit, dignus eas ſuſtinere pœnas, quas criminibus iſtis leges ultrices deſtinarunt. *Sunt enim cæli qui arguunt, elementaque ſæviunt, & ſi non aliud, ſupereſt in poſterum cruciatus gehennæ*, ut ex Jo. Meſue, in præf. lib. de morb. particul. Iaſon à Pratis hic ait, lib. 11. de uteris. cap. v. Caveat vero Medicus ab aſtutis etiam mulierculis, nec nimium iis ſit credulus, dum varia ſæpe remediorum genera, ſub prætextu gravium morborum, pro abſentibus à Medicis petunt. Nec facilis ſit in vehementioribus purgantibus, aut menſes ducentibus præſcribendis remediis, niſi omnia prius exacte perpenderit & de laborantis perſona, morboque ipſi conſtiterit, ne abutantur iis malitioſæ iſtæ ad fœtuum expulſiones nefarias, & feſtina homicidia. Elegans vero eſt, & aurea Hippocratis ſententia, qua ea, 65
quæ præſenti ac ſuperiori capite explicavimus, cõcludit, rationemque reddit, quare nec medicamentum mortiferum, nec peſſum ſuppoſitorium, aut dare aut commonſtrare velit; aitque, *ἁγνῶς δὲ ὁσίως διατηρήσειν τὸν βίον τὸν ἐὸν, καὶ τεχνὴν τὴν ἐμὴν, tum vitam ſuam, tum artem, caſtam & ab omni ſcelere puram ſe præſtiturum.* Et Ἁγνῶς *quidem*, ut ait Zuingerus in Comm. *ut ſemetipſum caſtum atque purum conſervet ab omni animi libidine.* Ὁσίως *vero, ne quem artis ſuæ operibus quomodocunque lædat.* Eruditiſſimus 66
tamen, Heurnius, Notis ad Iusjur. τὸ ἁγνῶς καὶ ὁσίως etiam de illis accipit, qui *Innocentia & Iuſtitia duce medicinam faciunt, non vero gemmatis & inique appretiatis remediis in alienas opes degraſſantur.* Quales hodie ſunt vulturii illi, & noctuæ ad aucupia crumenarum, qui credulos magnates & imperitum vulgus circumducunt paſſim, & pecunia περιποιοῦσιν, ſive *emungunt*, quo verbo appoſite hac in re utitur Hippocrates in φλυαρίαις. Qui non auri tantum ac gemmarum, ſed quarumvis aliarum

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 165 sur 248

©BIU Santé

rerum mera jactant secreta chymica, quæ non nisi à se solis peculiari cheirotechnias, & pynotechrias modo elaborari queant. Qui his iisdem miracula se confeciſſe gloriantur, ac propterea αἰεὶ ἐν νεφέλαις haberi volunt, præ quibus alii velut umbræ volitent. Quorum tamen si scrinia excutiendi facultas forte se sistat, aut occasio, mera saltim deprehendas aliorum inuenta, ac remedia in vulgus etiam nota, quæ si tollas,

Aut si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas,

nihil offendas reliqui præter jejunam maciem,

Aut apinas tricasque, & si quid vilius istis,

quibus eruditiorum choro

—— —— *deplumis moveat cornicula risum.*

Sed revertamur ad Hippocratem, & ad ejus mentem cum Erasistrato, ex Sorani Ephesii Isagoges cap. 1. dicamus, *felicissimum esse si utrumque coincidat, ut & in arte sit Medicus perfectus, &*
67 *moribus optimus.* Talis post Hippocratem nostrum, quem propterea in Hipp. vita σεμνὸν τρόπους vocat, fuerit Zeno apud Alexandrinos. Eum Iulianus Imp. in Epist. ad ipsum scripta, ait non tantum ἰατρικῆς τέχνης εἰς τὰ πρῶτα ἀνήκειν, verum etiam καὶ ἤθους, καὶ ἐπιεικείας, καὶ βίου σωφροσύνης, συμφώνως πρὸς τὴν τέχνην ἔχειν. *non ad summum tantum medicæ artis gradum pervenisse, sed et parem morum moderationem, ac vitæ temperantiam adjunxisse.* Ta-
68 lis Daphnus Ephesius, quem unum ex interloquutoribus facit Athenæus in Dipnosoph. & Auctor Epitomes in Athenæum ait fuisse, ἱερὸν τὴν τέχνην καὶ τὰ ἤθη, *qua vitam qua mores*
69 *sanctum.* Talis demum Iamblichus in quem sequens Leontii Scholastici tetrastichon exstat, Epigrammatum Græcorum lib. IV.

Ὁ γλυκὺς ἐν πάντεσσιν Ἰάμβλιχος, ὃς ποτὶ γῆρας
Ἦλυθεν, ἁγνὸς ἐὼν κυπρογενῶν ὀάρων.

Ἔργα

©BIU Santé

Ἔργα τ' ἀκεσφορίης ἐφέπων, σοφίλλου τε διδάσκων,
Κέρδεσιν οὐδ' ὁσίοις χεῖρας ἀνοσόρεσεν.
In cunctis Iamblichus amabilis, attigit ævi
Vltima, contemtis illecebris Veneris.
Idem artem exercens, Sophiamque professus, iniquis
Dicitur à lucris abstinuisse manus.

Loquitur tamen Hippocrates in textu jam explicato, potissimum de animi castitate & morum puritate; nam de corporis castitate infra monebit.

CAPUT SEXTUM DECIMUM.

Οὐ τεμέω ἢ οὐδὲ μὴν λιθιῶντας. ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε.]

SUMMARIA.

1. *Calculi in quavis corporis parte generantur.* 2. *Calculus in gena generatus.* 3. *in lingua ligamento.* 4. λιθὶς & λιθίασις. 5. λιθῶντες, & λιθιῶντες, *an differant?* 6. *Quos Hippocrates hic intelligat per* λιθιῶντας. 7. *Renum sectio.* 8. *An remedium calculo infringendo noverit Hippocrates?* 9. *An* λιθίασις *citra sectionem curabilis?* 10. *An Chirurgia, seu manuum operatio ad Medicinam pertineat?* 11. *Avenzoaris sententia, & Oribasii.* 12. *sententia vera.* 13. *Chirurgia pars Medicinæ.* 14. *Chirurgiæ auctores.* 15. *Machaonis & Podalirii studium diversum.* 16. *Apollo* ἠπόχειρ. 17. *Medici Clinici & Chirurgi.* 18. *Operationes Chirurgicæ Medicis adscriptæ.* 19. *& instrumenta Chirurgica.* 20. *Hippocratis scripta Chirurgica.* 21. *Galenus Chirurgiam exercuit.* 22. *Medicus etiam Chirurgus.* 23. *Minister Medici & Chirurgi.* 24. *Hujus requisita.* 25. *Barbatores hodierni, an mereantur nomen Chirurgi?* 26. *Medici carnifex.* 27. *Medicus quo respectu manibus operetur?* 28. *Medici certarum partium.* 29. *Medici Ocularii, Dentarii, Auriculares.* 30. *Ex horum censu lithotomi.* 31. ἐργάτης *qui?* 32. *Medicus* ἐγχειρήσεως *sit peritus.* 33. *An Hippocrates intuitu crudelitatis calculi sectionem abs se removerit?* 34. *Caussa verior.* 35. *Duplex verborum Hippocratis sensus.*

Calcu-

©BIU Santé

1 CAlculos in quavis corporis parte progigni experientia docet, rerum omnium magiſtra. Prolixum catalogum ex pluribus auctoribus recenſet Clar. Sennertus noſter, Inſtit. Med. lib. 11. part. 11, cap. 1x. quem repetere heic loci ſupervacaneum
2 foret. Vidimus nos ante quadriennium, & quod excurrit, ex vitrorum conflatoris gena dextra, à balneatore Lubecenſi exemptum lapidem teretem, colore ſubruffum, magnitudine oſſis dactylorum, quem per triennium fere æger geſtaverat. Primis annis tumorem hic tantum ſenſit durum, & ex eo non nihil incommodi, cui emolliendo & tollendo, multis uſus fuit inunctionibus, cataplaſmatibus & emplaſtris, ſed fruſtra. Tandem proceſſu temporis ſorex ſuo indicio ſe prodidit, vel exitum potius ipſe quæſivit, dirupta parum cute; quam mox balneator paullatim latius diduxit, hoſpitemque latentem in
3 lucem protraxit. Plures ſunt anni, quum Helmæſtadii ad huc agerem, Ioanni Ludero Icto, Profeſſori, Collegæ & amico meo, dum in vivis erat, ſincero lapidem calcis induratæ colore & conſiſtentia, duorum hordei granorum magnitudine, in linguæ ligamento genitum, pollice atque indice digito linteolo involutis, compreſſum extraxi. Subinde in aliis etiam corporis partibus calculos pronaſci poſſe, nemo puto dubitaverit. Peculiariter tamen & frequentius in renibus & veſica proveniunt; quæ proinde κατ' ἐξοχὴν calculo laborare dicuntur. Ad-
4 fectionem ipſam Hippocrates & λιθιδα, & λιθιασιν vocat. Et λιθιάσεως quidem paſſim, λιθιδ@ vero lib. 1v. de morb. mentionem facit. Cælius Aurelianus Chron. paſſ. lib. v. cap 1v.
5 *Calculationem*; Lexicon Græco Latinum *Calculoſitatem* nominat. λιθῶντας tamen Hippocrates maxime eos appellat, qui vel in renibus, vel in veſica calculos habent: λιθιῶντας, qui in veſica ſolum. Eſt vero ubi & λιθίασιν renibus tribuit, & λιθιῶν renem dicit, lib de morb. int. ſecus, quam putavit Io. Gorrhæus in Definit. Med. Communiter nihilominus λιθιᾶν, & λιθίασις,

de

©BIU Santé

de renum calculo uſurpatur. Vnde & hoc in loco Interpretes per λιθιῶντας veſicæ calculo laborantes intelligunt, idque propterea, quod his ſolis ſectione ſubveniri queat. Quanquam non ſim neſcius in renum etiam adfectionibus, calculi ſectionem ab Hippocrate non improbari, lib. de intern adfect. de qua & Avicenna lib. III. Fen. XIIX. tract. II. cap. XIIX. & Serapio Pract. tract. IV. cap. XXII. meminerunt, quam rationabiliter inſuper fieri poſſe contendit Fr. Rouſſetus lib. de partu Cæſar. ſect. III. cap. VII. & Jo. Riolanus filius Anthropographiæ lib. II. cap. XXVI. Colligit autem ex præſenti textu Lud. Duretus, lib. I. de morb. int. cap. XLIX. Hippocratem, quia medicamentis & diæta ægris ſe præſto futurum jurat, calculo autem laborantes ad λιθοτόμους dimittit, nullum ſciviſſe remedium, quo veſicæ calculus confringi poſſet: diſertiſque deinde verbis adfirmat, λιθίασιν, præſertim primogeniam, non niſi ſectione percurari poſſe. Rationes rei confirmandæ addit ex Iac. Silvii explicat. in Gal. loc. de lap. Iudaico: quod medicamentum calculo atterendo deſtinatum, integris viribus ad veſicam pervenire nequeat, aut ſi pervenire poſſe fingamus, infringi tamen ejus vim ſolere, tum veſicæ amplitudine, tum urina cui remiſcetur, tum calculi duritie & ejuſdem involucro, & pituita, qua circumvolvitur. Neque aliter ſentiunt Io. Heurnius Notis in ὄρχιν, Horatius Augenius, Tomo II. lib. IX. Epiſt. IIX. Andreas Dudithius, in Epiſt. Scholtzianis Ep. XIV. Nic. Monardes, Simplic. med. Novi Orbis, lib. III. cap. de Cachos. Sanctorius, lib XIII. Meth. vitand. error. cap. IV. atque alij. Porro quia idem Hippocrates omnem hic operationem in calculo exſecando abs ſe removet, & viris rei ejus operariis tranſſcribit, colligere inde alij volunt, Chirurgiam à Medicina, omnemque operationem manuariam prorſus ſeparandam, veluti Medico indignam. Avenzoar certe, lib. II. Theiſir. tract VI. cap. I. in hæc verba prorumpit. *Ad Medicum nobilem & honoratum non pertinent operationes manuum, ſed ad mint-*

7 8 9 10 11

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 169 sur 248

©BIU Santé

miniſtros Medicorum, ut ſunt phlebotomia, cauterium, inciſio arteriarum. Immo & alia debent facere miniſtri illi Medicorum, ut eſt inciſio palpebrarum, & elevatio venarum in albedine oculorum, & ſublatio cataractæ. Ad Medicum autem honoratum nihil aliud pertinere dicimus, niſi ut conſilium ſolummodo præſtet ciborum medicinarumque infirmo, abſque operatione manuum. Hæc Avenzoar. Et ſimpliciter Oribaſius de omnibus Chirurgicis operationibus, *Quæ manuum*, inquit, *opera curantur, melius ab exercitoribus obeuntur,*

12 Synops. lib. 1. cap. 1. Vt ex quæſtione hac nos expediamus, ſciendum eſt Medicinæ partes principes à fine deſumptas (de cæteris enim nunc nihil dicimus) duas eſſe, ut Galenus lib. 1. de ſan. tuenda. cap. 1. & ad Traſybulum cap. xxx. Averrhoës lib. 1. Coll. cap. 1. & Halyabbas lib. 1. Theor. cap. 1v. docent, ὑγιεινὴν & θεραπευτικὴν; quarum illa ſanitatem in corpore præſentem conſervat, hæc amiſſam reſtituit. Poſterioris tres viciſſim ſunt ſpecies, διαιτητικὴ, quæ victus præſcriptione, φαρμακευτικὴ, quæ medicamentis, & χειρουργικὴ quæ manuum adjumento medetur. De harum poſtrema, res in quæſtione eſt,

13 an ad Medicum ſpectet. Quidni vero? ſi Medicinæ pars eſt, ſi iiſdem nititur fundamentis & præceptis, ſi eaſdem habet demonſtrandi leges, eandem methodum, ſub iiſdemque auctoribus fuit prognata? Sane qui primam Medicinæ originem ſpectarit, à Chirurgia & manuum operatione bonam partem

14 cœpiſſe advertet, ut ab ea, quæ magis incurrebat in ſenſus. Et ne ulterius rem arceſſamus, à Chirone, qui in Græcia communis fere Medicorum plurium fuit præceptor, Chirurgiam maxime excultam, *ulcera Chironia* docere poterunt, quæ id nominis acceperunt, quod Chiron ſolus ipſis mederi crederetur, ut Paullus Ægineta lib. 1v. cap. xLv1. teſtatur. Hujus diſcipulus Æſculapius dentium evulſionem invenit, ſi Ciceroni credimus, lib. 111. de nat. Deor. atque ut de ipſo Pindarum audiamus, in Pythiis Ode 11. qui & morbos recenſet quos curavit, & medicinæ modum declarat.

Ὅσσοι

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 170 sur 248

©BIU Santé

Ὅσοι μόλον αὐτοφύτων
Ἑλκέων ξυνάονες, ἢ πολιῷ
Χαλκῷ μέλη τετρώμμενοι,
ἢ χερμάδι τηλεβόλῳ,
ἢ θερινῷ πυρὶ περ-
θόμενοι φλέμας, ἢ
χειμῶνι· λύσας ἄλλον ἀλ-
λοίων ἀχέων
ἔξαγλυ· τὰς μὲν μαλακαῖς
ἐπῳδαῖς ἀμφέπων·
τὰς δὲ θερσαινέα πί-
νοντας, ἢ γυίοις θεράπλων πάντοθεν
Φάρμακα, τὰς δὲ τομῇς ἔστασεν ὀρθάς.
Quotquot venerunt, ſponte natorum
Vlcerum participes, aut coruſco
ferro membra ſauciati,
aut ſaxo eminus miſſo,
vel quibus æſtivus ignis de-
populabatur corpus, aut
frigus; liberans alium a-
liis doloribus
eripuit: hos quidem mollibus
incantamentis tractans;
illos vero lenia bi-
bentes, aut membris aptans undique
medicamina, alios etiam ſectionibus reſtituit ſanitati.

Parentem æmulati filii, Podalirius & Machaon, atque Aga- 15
memnonem ad Troiam ſequuti, commilitonibus ſuis non me-
diocrem attulerunt opem, nec tamen in peſtilentia aut aliis
morbis, ſed vulneribus tantum, ferro aut medicamentis cu-
randis, ut notant Cicero lib. 11. de orat. & Celſus lib. 1. in
præf. Exemplum eſt Iliad. δ. ubi Machaon Menelao jaculum
eximit, mox vulnus diſpicit,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 171 sur 248

©BIU Santé

Αἷμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἀρ ἤπια φάρμακα εἰδὼς
Πάσσων.
Sanguine deterſo, medicamina lenia doctus
Inſpergens.

Quanquam Euſtathius Machaonem ſaltim Chirurgiæ, Podalirium vero abditorum & latentium morborum curationi incubuiſſe, hoſce Homeri verſus argumento eſſe notet:

—— Ἕτερον δ' ἑτέρῳ κύδιον ἔθηκεν·
Τῷ μὲν κεφοπέρας χεῖρας πόρεν, ἔκτα βέλεμνα
Σαρκὸς ἑλεῖν, τμῆξαί τε, καὶ ἕλκεα πάντ' ἀνέσασθαι.
Τῷ δ' ἄρ' ἀκεσφορίᾳ πάντα ἐνὶ φρεσὶν ἔθηκεν,
Ἀσκοπά τε γνῶναι, καὶ ἐπαλθέα οἵσασθαι.
—— *Aliumque alio præcellere juſſit;*
Huic agiles dedit eſſe manus: ſi quando ſagittas
Extrahere hærentes operæ, aut exſcindere ferro,
Aliaque vel peterent medicatum vulnera ſuccum:
Aſt alius melior morborum arcana ſagaci
Indagare animo, placidamque afferre medelam.

16 Certe Apollo ipſus non aliam ob cauſſam ἠπόχειρ, quam quod *manu deliniſica* fuerit *præditus*, ab Orpheo in hymno ſalutatur. Ex hoc autem liquido patet, Chirurgiam apud antiquos præcipue floruiſſe, & fere primo omnium inventam fuiſſe & excultam. Ac licet illa artis pars, per interna medicamenta morbos internos curandi, quam φαρμακεύειν diximus, non prorſus veteres latuerit, ut exemplo Podalirii jam ex Euſtathio oſtendimus, & porro liquet exemplo Melampi, qui melampodio ſive helleboro Proëti Thraciæ Regis filias ab inſania liberavit (ut præter Hippocratem in Epiſt. ad Cratevam, habet Diodorus Siculus Biblioth lib. IV.) & Helenæ, quæ apud Homerum, loco citato, pharmaco ſuo, (quod habebat

Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
Nepenthes, reprimenſque jram, mala cuncta aque pellens.)

triſtitiam curaſque abigebat: licet etiam procedente tempore à Medi-

©BIU Santé

Medicis posterior hæc artis pars felicius excoleretur; tamen nunquam hæc ab illa, aut illa ab hac sequestrata mansit, sed ut geminæ germanæ sorores, una docebantur, atque uno Me- 17
dici nomine & *Clinici* & *Chirurgi* censebantur, quod notat Plinius lib. XXIX. cap. I. Hinc passim Chirurgorum operatio- 18
nes Medicis adscribuntur. Ælianus Var. Hist. lib XI. cap. XI. de Dionysio Siciliæ Tyranno loquens, quod Medicinæ operam navarit, ait: *curationes, sectiones, ustiones, & reliqua, ipsummet, exercuisse*. Appianus lib. II. de bell. civil. de Catone agens, qui vulnus sibi inflixerat: *Medici*, ait, *recentia adhuc intestina in vulnus retruserunt, consutumque obvinxerunt fasciis*. Et Var- 19
ro Quinquatribus, quam Satyram in sui temporis Medicos scripsit, inter Medici instrumenta connumerat

Bipensiles forcipes, dentiharpagas:

& Lucillius Satyr. lib. XIX.

Scalprorum forcipumque millia viginti.

Paullus vero I C. L. XIIX. §. X. D. de instructo inter eadem Medici instrumenta recenset, *collyria, emplastra & ferramenta*: Quæ Herodot. lib. III. de Democede Crotoniensi Medico agens, τὰ πρὸς τ τέχνην ἐργαλήϊα, *instrumenta ad artem pertinentia* nuncupat. Et prolixius enumerantur Polluci, lib. IV. c. XV. σμίλη, ψαλὶς, τμεὺς, ὑπογραφὶς, ὠτογλυφὶς, μήλη, βελόνη, ξυστὴρ, ὀδοντοξεστὴς, ὀδοντάγρα, Λεῖδιον. *Scalpellum, forfex, sector, scarificatorium, auriscalpium, mele, acus, novacula, dentiscalpium, dentium extractorium, evedium*. Atque ea respicit Tertull. lib. II. adversus Marcionem, *Quid enim*, inquit, *si Medicum dicas esse, & ferramenta ejus accuses, quod secent, & inurant, & amputent, & constringant? quia sine instrumento artis medicus esse non potest*. Et Seneca Epist. XCI. *Non opus erat tã magna suppellectile, nec tot ferramentis, nec pyxidibus*. Ac ne alios operose in testimoniũ citemus, Hippocrates ipse, lib. de Medico, & lib. de Elegantia, interea, quæ Medicũ in parato habere fas est, *lintea* enumerat *puris detersoria, spongias, deligacula, emplastra, cucurbitulas, gladiolos, volsellas, machinas*,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 173 sur 248

©BIU Santé

nas, atque instrumenta alia, convenienti singula magnitudine,
20 gravitate, aut tenuitate, ad usum apte comparata. Idem ille
de *Fracturis, Vlceribus, Articulis*, & *Vulneribus capitis* scripsit, quæ
21 ad Chirurgiam spectare nemo negaverit. Galenus denique
lib. VI. Meth. med. cap. VI. diserte fatetur, se opera Chirur-
gica, citra alterius opem, suis manibus exercuisse, præsertim
in Asia. Nam Romæ agens, ait *se Vrbis morem sequutum, per-
missa Chirurgis, quos ita vocabant, maxima manualium operationum*
22 *parte*. Vt jure optimo concludere liceat, Medicum & Chirur-
gum unum eundemque esse, aut saltim esse debere, nec per
rerum naturam essentiales has Medicinæ partes ab invicem se-
parari posse, frustraque esse, qui inter ipsas distractionem aut
dissidium volunt, adeo arcte cohærent, alteriusque

Altera poscit opem pars, & conjurat amice.

Unde recte Corn. Celsus in præf. lib. V. *illud ante omnia scire con-
venit, quod omnes medicinæ partes ita innexæ sunt, ut ex toto separari
non possint*. Et ex Celso Scribonius Largus cap. LXIIX. *Implici-
tas medicinæ partes inter se, & ita connexas esse constat, ut nullo modo
diduci, sine totius professionis detrimento, possint. Ex eo intelligitur*,
pergit, *quod neque Chirurgia sine diætetica, neque hæc sine Chirurgia
perfecti possint: sed aliæ ab aliis adjuvantur, & quasi consummantur*.
23 Interim tamen hoc quoque notandum; quemadmodum
Hippocrates, lib. de Medico, ei qui medicamentis & diæta
curat, præsto semper esse jubet ex discipulis quempiam,
in arte non inexcercitatum qui operam det, ut ipso absente
ægri imperata faciant, & præscriptis recte utantur: ita idem
lib. de officina. Med. ei quoque, qui circa manuum operatio-
nes versatur, ministrum addit, qui ipsum sublevet, atque ea
quæ à Medico fieri artis dignitas non admittit, exsequatur; ut
ita, nisi velint, neque ille, neque iste manu operari necessum
24 habeant. Debet vero Chirurgi minister adolescens esse, aut
adolescentiæ propior, manibus promptus, nihilque tremens,
animo intrepidus, immisericors: quum contra Medicus Cli-
nicus,

©BIU Santé

nicus, ut vocabant Romani, ſive etiam Chirurgus, ſenior eſſe debeat, atque in arte exercitatus, ut recte diſcipulis miniſtriſque, ex uſu quod ſit, poſſit imperare. Hinc apud Gallos proverbio dici conſuevit:

Ieune Chirurgien, vieil Medecin;
S'ils ſont autres, ne valent pas un brin.

Iuvenem Chirurgum laudo, ſed Medicum ſenem:
Ejusmodi qui non ſient, nihil valent.

Tantum tamen abeſt, ut *barbatores*, aut *barbitonſores* noſtri, me- 25
reantur nomen Chirurgi, ut ejus, quem miniſtrum diximus, perſonæ ſuſtinendæ ipſorum plurimi vix ſint ſatis. De his enim, aliiſque Chirurgi Medicique miniſtris, accipiendus Plinius Valerianus, de re Med. lib. I. cap. LVI. quando ait: *Atque ita potes curari, ut nec ſanguiſugas ponas, nec carnificem Medici patiaris.* Vbi recte advertit Caſp. Barthius, Adverſar. lib. II. 26
cap. XIV. *Carnificem Medici*, eſſe *ſectorem*, quem adhibet, ſive *miniſtrum*. Si tamen, quod ſæpius contigit, & contingere ſæpe 27
poteſt, Medicus ipſe manum ad hibeat, facit id ille non officij ratione, ſed eum in modum, quo aliquando Imperator militis gregarii munus obit. Id à Mario, Romano Duce, ſubinde factum Salluſtius in bello Ingurth. & Plutarchus in Mar. teſtantur, & de Hannibale auctor eſt Polybius, Hiſtor. lib. V. de Antonino Caracalla Imp. Herodianus, lib. IV. De Philippo atque Alexandro Macedonum Regibus idem commemorat Galenus, lib. VI. Epidem. comm. V. text. I. cujus verba, quia maxime huc faciunt, ipſamet ſubiungo. *Multi Imperatores*, inquit, *ſæpe & arcu uti, & jaculari & pugnare gladio haſtaque ſciunt, & faciunt, & Reges pariter, ſed non ut Rex, ut Imperator erat Alexander Macedo, aut ejus pater Philippus; ſed per alias artes, imperatoriæ atque regiæ ſubſervientes, hæc militaria munera obibant. Ita & nos, ut Medici, cujuſque auxilii qualitatem, quantitatem, occaſionem & utendi modum cognoſcimus: ut miniſtri vero venam reſcindimus, & cucurbitulas admovemus, &*

reliqua

©BIU Santé

reliqua manibus operamur. Adde quæ in eandem ſententiam habet Palladius Sophiſta, Comm. in eundem locum. Verum ad Hippocratem revertamur, & videamus quare is calculi
28 ſectionem ab ſeſe prorſus amoveat. Sciendum autem hic eſt, primum apud Ægyptios, mox alias etiam gentes, certarum partium corporis humani, morborumque in iiſdem, certos olim fuiſſe Medicos, qui ex partibus etiam quas curabant,
29 denominationem ſortiebantur, ut *Ocularii*, *Auricularii*, *Dentales*, aut aliter, dicerentur. De Ægyptiis audiamus Herodotum, Hiſtor. lib. II. ἡ μὲν ἰητρικὴ κατ' ὧδε σφὶ διέδασται· μίης νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων· πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἵ τε γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ πεπεύκασι· οἱ δὲ κεφαλῆς. οἱ δὲ ὀδόντων. οἱ δὲ κατὰ νηδύν· οἱ δὲ τῶν ἀφανέων νούσων. *Medicina apud eos in hunc modum eſt diſtributa, ut ſingulorum morborum ſinguli ſint medici, non plurium, mediciſque referta omnia. Alij enim ſunt oculorum Medici, alij capitis, alij dentium, alij alvi & vicinarum partium, alij occultorum morborum.* Et lib. III. idem Herodotus meminit Medici *Opthalmici*, qui in Ægypto fuerit, ab Amaſi judicatus omnium optimus. Corn. Celſus Evelpidis Chirurgi, & *Medici Ocularii*, mentionem facit lib. IV. Suo etiam tempore Medicos Romæ fuiſſe, qui *Ocularios* ſe nominarent, ſeu *Opthalmicos*, teſtis eſt Galenus lib. X. de uſu part. cap. XI. Vnde etiam *Ocularii Medici* in Inſcriptionibus vetuſtis; ut Romæ in hortis Carpenſibus.

TI. IVLIVS.
AVG. ET.
AVGVSTAE. L.
CVTISONVS
MEDICVS
OCVLARIVS
H. S. E.

Et

©BIU Santé

Et ibidem in Muſeio Carpenſi.

P. ATTIVS. ATIMETVS
AVG. MEDICVS
AB. OCVL.
H. S. E.

Et de hoc Medicorum genere agit Vlpianus L. 111. D. de extraord. cognit. *Medicos*, inquit, *fortaſſis quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris ſanitatem pollicentur: ut puta ſi auricularius, vel fiſtulæ, vel dentium.* Facete in eos ludit Martialis lib. x. Epigr. Lx.

Eximit, aut reficit dentem Caſellius ægrum,
Infeſtos oculis uris, Hygine, pilos.
Non ſecat, & tollit ſtillantem Faunius uvam;
Triſtia ſaxorum ſtigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes;
Qui ſanet ruptos, dic mihi Galle, quis eſt?

Ad hanc vero claſſem *Lithotomi* etiam pertinebant, ſeu *Calculariì* 30
Medici. Vt enim iſti omnes Empirici tantum erant, nec quid quam aliud norant, quam quod in certa aliquâ parte manu operandi, & medicandi peritiam haberent: ita hi quoque de ſolo hoc remedio, in calculi curatione extremo, arduo, difficili & cum maximo periculo conjuncto, dextre adminiſtrando fuere ſolliciti. Hos itaque ἐργάτας vocat Hippocrates, ſeu 31
operarios. Jul. Pollux Onomaſt. lib. 1. ſect. 1. cap. v. interpretatur χειροτέχνας, ſeu *manuarios*. Heſychius ἐργατικὰς, in Lexico. Hos tanquam veri Medici, ſive Clinici, ſive etiam Chirurgi nomine indignos, & potius miniſtros, à veris Medicis Hippocrates ſeparat, artiſque diſcipulum adigit, ut omnes iſtorum operationes ejuret, atque exercere nolle promittat; ſed viris circa illas verſatis, eaſque profitentibus, quique iſtis rebus particulatim navant operam, quidquid muneris ejus eſt, committere. Interim tamen, dum operæ ejuſcemodi ſuis 32

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 177 sur 248

©BIU Santé

exercitoribus committuntur, quique ſerio eas profitentur, ἐγχείρησιν ipſam non ignorare Medicum par eſt, ut eam operariis imperare poſſit; ne auxilium implorantibus defuiſſe, aut id videatur non intellexiſſe, quod quis varicoſis pedibus, aut calloſis manibus feliciter præſtet. *Quæ* enim *ſervum*, ſive miniſtrum, *ſcire facere oportet*, *Dominum oportet ſcire jubere* dicebat Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. VII. Qui vero aliis agendi & operandi modum præſcribere aut dictare poterit, qui eundem nec calleat ipſe, nec unquam didicerit? Non itaque cum Avenzoare hic facere poſſum, qui calculi extractionem è veſica, *tam turpem rem, & abominabilem, miſeramque* eſſe ait, *ut non tantum non exercerì, ſed ne adſpici quidem ab honorato viro debeat.*

33 Nec ſimpliciter adſentior Theod. Zuingero, Proſcen. Med. cap. II. Scævolæ Sammarthano, in Metaphraſi Poet. jurisjur. Hipp. atque aliis, qui ſaltim ideo Hippocratem calculi ſectionem abs ſe amoliri putant, quod ab omni crudelitate abhorrens, noluerit morbum vulnere, novoque morbo, aut dolorem dolore curari: ſed, quidquid ejus ſit, cædentibus operariis relinquere, generi hominum duro ac crudeli. Etenim ſi id crudele eſt, morbum morbo, aut vulnus vulnere ſanare, ac dolorem dolore mitigare aut tollere, multa profecto eſſent, quæ ſimili modo à ſe ſpernere atque ejurare haberet Medicus. Æque enim crudele eſt cauterium inurere, ſanis etiam partibus, & immedicabile vulnus enſe recidere, ne pars ſincera trahatur, aut ulcera vulneraque parva immiſſis medicamentis acribus, aut denique ferro dilatare, vel febres in morbis à materia frigida excitare; quæ tamen ſubinde à Medico fieri jubentur, quædam etiam aliquando ab ipſomet fiunt, ubi collubitum fuerit, & uſus poſtularit. *Ita nullum eſt auxilium Medicum, quod non laceret, quod noxam animo & corpori non inferat*, inquit, Sanctor. Sanctorius vitand. error. lib. XIII. cap. x. Et *circumſpecti eſt Medici*, dicebat Celſus lib. III. cap. IX. *novare interdum, & augere morbum & febres accendere*. Si nempe bono fini id fiat, atque

©BIU Santé

atque in ſalutem ægri, aut ad majus malum, morbumque vehementiorem averruncandum. *Nulla* enim *dura videtur*, ut Seneca ait, *curatio, cujus ſalutaris effectus eſt*, lib. I. de Ira. cap. V. Itaque ut dixi, eam potius ob cauſſam Hippocrates ſectionem 34
calculi à Medicis amolitur, quod ſciat operationem iſtam tum artis dignitatem dedecere, tum adeo difficilem eſſe, ut in uſum trahi nec poſſit, nec debeat à quoquam, qui non particulatim ac ſedulo in ea dudum ſe exercuerit, modum operandi legitimum exacte callens, & dextre adminiſtrare ſcius. Ejusmodi vero operatores, quum cætera Medici non ſint, atque in prædicta ſaltim operatione ἐμπειρίαν, peritiamque nudam habeant, verorum Medicorum nomine venire nequeunt. Vulgi tamen errore, & per abuſum vocabuli, non ſecus atque Ocullariis, aliiſque, Medici iis nomen aliquando tribuitur, quod partem aliquam in medicando videantur obire. Ita enim & *Obſtetrices*, *Medicæ* ſubinde dicuntur, *quod*, ut Vlpianus ait, L. I. §. XI. D. de extraord. cognit. *medicinam utique exhibere videantur*. Cæterum duplex videtur eſſe ſenſus in verbis illis Hippo- 35
cratis (ἐκχωρήσω ἢ ἐργάτησιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε) quod etiam obſervavit Jo. Obſopœus in Comm. Vel enim hoc dicit, *ſe ceſſurum* ἐργάτησιν πρήξιος τῆσδε, ſive *magiſtris ejus operationis*: vel ſe ἐκχωρήσειν πρήξιος τῆσδε, ſeu *ceſſurum hoc munere, ſive operatione, operatoribus*, locumque calculi ſecandi & facultatem daturum. Quod ſi cui aliorum de prædicta quæſtione ſententiam noſſe libuerit, is adire poterit Jo. Bapt. Silvaticum, Controv. Medic. XCIV. Franc. Valleriolam, Enarrat. Medic. lib. VI. enarr. IV. Leonh. Botallum, lib. de Medici & ægri munere. Mich. Doringium, de Medicina & Med. lib. II. part. III. ſect. VI. cap. III. Jo. Freitagium, Noct. Med. cap. XIII. Rod. à Caſtro, Med. Polit. lib. II. cap. III. Theod. Zuingerum, in Proſcen. Med. & poſt hos P. Laurenbergium, Porticu Æſculapii cap. IX. &c.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 179 sur 248

©BIU Santé

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Εἰς οἰκίας ἢ ὁκόσους ἂν ἰσίω, ἐσελθόσμαι ἐπ' ὠφελείη καμνόντων, ἐκτὸς ἐὼν πάσης ἀδικίης ἑκουσίης, καὶ φθορίης, τ̃ τε ἄλλης, καὶ ἀφροδισίων ἔργων.]

SUMMARIA.

1. *Pleonaſmi Græcis familiares.* 2. *Malorum Medicorum mos.* 3. *Plinio Secundo adſcripta Epiſtola.* 4. *Pramii inter morbi cruciatus extorſio.* 5. *Martialis jocus.* 6. *& Philippi Macedonis.* 7. *Medicis prohibitum durante morbo cum ægroto paciſci.* 8. *Medicorum infamia ſumma, opus quærere.* 9. *Ægri ſalus, ſuprema Medici Lex.* 10. *Medicus etiam doctus leviter aliquando errare poteſt.* 11. *præſertim in morbi principio.* 12. *Hippocratis exemplum.* 13. *Galeni.* 14. *Avenzoaris, & Matthæi à Gradi.* 15. *Nec tamen qui ita errant imperitiæ tenentur.* 16. *Ægyptiorum Lex à Bocchoride lata.* 17. *Auſtrigildis facinus.* 18. *Et Alexandri M.* 19. *Et Antonini Imp.* 20. *Medico imputatur, quod per imperitiam peccat.* 21. *& punitur, ſed pœna extraordinaria.* 22. *Senſus verborum Hippocratis.* 23. *Varia in contextu lectio.* 24. *Gorrhæus notatus, item Cloſſæ Scaligeri.* 25. φθορίη, *corruptela.* 26. *Vlterior Hippocratis verborum ſenſus.* 27. *Gorrhæus iterum notatus.* 28. ἄλλη *quid?* 29. *quid planus.* 30. ἔργα ἀφροδίσια. 31. ἐργάζεσθαι, ἐργασία. 32. *opus, opera.* 33. ἐνεργεῖν. 34. ἐπ' αὐτοφώρῳ. 35. *Caſtitas Medico ſervanda.* 36. *Æſculapius Agnites* 37. κνίζα *apud Scholiaſten Theocriti.* 38. *Zona lumbaris Medicorum quid notet?* 39. *Medici luxurioſi & adulteri.* 40. *Didymon.* 41. *Apollonides Cous, & ejus pœna.* 42. *Vectius Valens.* 43. *Eudemus.*

1 Ἐισίναι & εἰσέρχεσθαι εἰς οἰκίας, dicitur pleonaſmo Græcis familiari. Ita infra eſt ἐκλαλέεσθαι ἔξω. Ἐπ' ὠφελείη καμνόντων, eſt ad ægrotantium ſalutem, quo
2 modo ſupra etiam loquutus eſt auctor. Repetit autem eadem verba hoc etiam in loco, ut removeat abs ſeſe ſuſpicionem, qua pſeudomedicorum & agyrtarum greges laborant,

OBIU Santé .

rant, qui augere morbos solent sæpe, ac cruciatus, tempusque curationum extrahere ut diutius ægros in reditu habeant, majusque miseris extorqueant præmium. De iis Corn. Celsus lib. v. cap. xxvi. *Histrionis est, parvam rem attollere, quo plus præstitisse videatur.* De iisdem Mimnermus, antiquissimus Poëta ait, quod ament dicere,

Τὰ φαῦλα μείζω, & τὰ δεῖν' ὑπὲρ φόβου,
Πυρεγένης αὐτὸς.

Et Auctor Epistolæ de Medicina ad amicos, quam quidam Plinio Secundo apud Marcellum Empiricum inscripserunt; 3
Frequenter mihi, inquit, *in peregrinationibus accidit, ut propter meam, aut meorum infirmitatem, varias fraudes medicorum experirer: quibusdam vilissima remedia ingentibus pretiis vendentibus: aliis ea quæ curare nesciebant, cupiditatis caussa suscipientibus. Quosdam comperi hoc genere grassari, ut languentes, qui paucissimis diebus, vel etiam horis possent sanari, in longum tempus traherent, ut & ægros diu in reditu haberent, & sæviores ipsis morbis existerent.* Ex qua 4
cohorte is fuit, cujus meminit Ulpianus in l. iii. D. de extraord. cognit. qui, *quum curandos quispiam ipsi commisisset oculos periculum amittendorum per adversa medicamenta inferendo, compulit ægrum, ut possessiones suas sibi contra bonam fidem venderet.* In angustiis enim constitutus æger nihil non promiserit Medico exigenti; utoptime in exactores istos id quadret, quod lepide se facturum ait Martialis, si quid à tonsore, novacula gutturi imminente, rogaretur, lib. xi. Epig. lix. 5

Quid si me tonsor, quum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem divitiasque rogat?
Promittam; nec enim rogat illo tempore tonsor,
Latro rogat, res est imperiosa timor.

Notusque est iocus Philippi Macedonis, qui quum vulneratus esset ea parte, qua collo adnectitur pectus, quæ Græca voce κλεὶς, sive *clavis*, Medicis *clavicula* dicitur, Medicoque uteretur avaro, & subinde aliquid flagitanti, insusurravit ipsi, 6

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 181 sur 248

©BIU Santé

λάμβανε ὅσα βούλῃ, τὴν χεῖρα κλειὼν ἔχεις; *cape quantum voles, nam*
7 *clavem habes*, referente Plutarcho in Apophthegm. Atque huiusmodi bipedum cauſſa (licet Hippocrates in Præception. à mercedis conſtitutione initium facere jubeat Medicum, quo fiduciam excitet in ægro, ſe eo derelicto non emanſurum) Legibus caveri cæpit, ne durante ægritudine Medicus cum ægroto paciſceretur de precio. L. III. D. de extraord. cognit. L. IX. Cod. de profeſſ. & Med. L. VI. §. 1. & ſeq.
8 Cod. de poſtulando. De iiſdem Medicis etiam capiendus Seneca lib. VI. de benefic. cap. XXXVI. *Graviſſima*, inquit, *infamia eſt Medici, opus quærere. Multi quos auxerant morbos & irritaverant, ut maiore gloria ſanarent, non poterant diſcutere, aut cum magna miſerorum vexatione vicerunt.* Idem ſunt, quos Philemon ait,

Κακῶς ἔχειν, ἐὰν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ:
Male habere, nemo ſe quotiens habet male.

9 At noſter ſalutem ægri ſupremam ſibi legem dixerat, *longe ſatius eſſe* ducens, ut in Præception. ait, *à morbo ſervatò exprobrare ingratitudinem, quam pernicioſe habentes emungere.* Ideoque addit porro, *ſe* prorſus *alienum futurum ab omni injuria voluntaria.* Licet enim ſupra docuerim, ἀδικίαν ex ſemetipſa eſſe injuriam, quæ ex deſtinata malitia proficiſcatur, & voluntarie & præmediate alicui deſtinetur; nihilominus tamen, ut vim vocabuli preſſius exprimat Hippocrates, eam hoc loco ἑκουσίαν, ſeu vo-
10 *luntariam*, ex abundanti vocat. Quemadmodum enim, homines qui ſumus, nihil humani alienum à nobis putare debemus: ita & Medicum aliquando humanitus quid pati credere licet, & vel doctiſſimum quemque, vel in primo ad ægrum acceſſu, primove morbi intuitu, aut alia ex cauſſa, circa ægrotantem aliquando labi, aut ipſam etiam morbi ſpeciem non perfecte
11 apprehendere; *Ego*, inquit Galenus lib. IIX. meth. med. cap. III. *nec in omnibus ægrotantibus fateor exacte me ſcire primo die affectum, nec ullam diariam febrem me fugere.* Confuſa autem morbi

©BIU Santé

morbi cognitio, qualis fere in principio eſt, confuſas parit indicationes; confuſæ indicationes confuſa auxilia. *Quum tamen aliquid ignoratur ex iis, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, methodus medendi optima eſt: ſequi indicationes eorum quæ ſciuntur*, inquit Phil. Scherbius, Diſp. Med. IX. Avicenna hoc caſu, lib. I. fen. IV. doct. V. cap I. *naturæ rem relinquere* jubet, *aut ſubtiliare regimen*, ſive *dietam*, ut loquitur lib IV. fen. I. cap. de curat. febr. putr. in univers. *Ipſe Hippocrates*, inquit Quinctilianus 12
lib. III. inſtit. Orat. IIX. *clarus arte Medicinæ, videtur honeſtiſſime feciſſe, quod quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt.* Atque id quidem *more magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium*, ut de hac ipſa Hippocratis confeſſione ait Celſus. lib. IIX. cap. IV. *Lenia enim ingenia*, ita pergit Celſus, *quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Itaque Hippocratem ſequutus, etiam Galenus lib. II. 13
de loc. adf. cap. II. coli dolorem, quo laborabat, primum pro nephritico ſe habuiſſe ingenue fatetur. Alii decepti ex 14
ignorantia imprægnationis, cathartica validiora, quanquam ſine periculo, gravidis exhibuerunt, ut de ſemetipſis teſtantur Avenzoar, Arabum doctiſſimus, lib. II. Theiſir tract. III. cap. I. & Matth. Gradis, lib. de ægrit. uteri cap XXXIIX. Simile exemplum Medici Itali notat Bruno Seidelius lib. de morb. incurab. cui alia ſubiungere poſſem, niſi res odioſa quidem eſſet, per ſe tamen ſatis liquida. *Difficile* enim *eſt*, inquit Galenus lib. II. κατὰ τόπους. cap. I. *ut qui homo eſt, in multis non peccet.* Vnde Hippocrates lib. de veteri Medic. *ſe τῶν τὴν ἰατρὸν ἐπαινεῖν, τὸ σμικρὰ ἁμαρτάνοντα; eum laudare Medicum, qui minimum delinquat.* Idque propterea, ut mox ſubjungit, quod τὸ ἀκριβὲς ὀλιγάκις ἐστι καλὸν εἶναι. *exacta certitudo rara ſit conſpectu:*

©BIU Santé

ſpectu: quodque, ut Galenus ſcribit in fin. Comm. in Prognoſt. *nunquam errare, ſupra hominem ſit, rariſſime autem, ſolius artificis.* Quo etiam ſenſu optime Medicum monet Hippocrates lib. VI. Epid. ſect. 11. text. L. *ut in morbis ad hoc ſe exerceat, quo vel*
15 *proſit, vel ſaltim non lædat.* Quæ tamen dextre intelligenda ſunt omnino, ne qui dicta ratione aliquando, & leviter quidem à ſcopo aberravit, ſtatim ex imperitia teneri exiſtimetur, nec viciſſim prætenſio levis erroris multorum imperitiæ patrocinetur. *Quivis* enim *Medicus*, ut Plato vult, lib. IX. de LL. *ἂν ὁ ἰατρὸς ὑπ' αὐτοῦ ἀκόντος πλουτῇ, καθαρὸς ἔστω κατὰ νόμον: ſi is, cujus cura præeſt, moriatur ipſo invito, purus eſt ſecundum legem;* nec Medico mortalitatis eventus imputari debet, ſi nihil eorum intermiſerit quæ ex artis præſcripto, & medendi
16 methodo præſtare potuit, aut debuit. Itaque Bocchoris, Ægyptiorum Legiſlator antiquiſſimus, lege lata abſolvebat Medicos à culpa, *ſi ſacri codicis normam*, hoc eſt, *medendi rationem longi temporis uſu firmatam, & ab optimis artificibus probatam* in curandis ægris fuiſſent inſequuti, ut refert Diodorus Sicu-
17 lus lib. I. cap. LXXXII. Crudele vero facinus cluet Auſtrigildis, uxoris Guntchramni, Gallorum Tetrarchæ, quæ dyſenteria maligna laborans, quum morbus indies augeret, maritum jurejurando adegit, ut par Medicorum, quo uſa fuit, quique omnibus adhibitis fatum exorare nequiverant, ſe etiamnum ſpiritum ducente, morti addiceret: crudelius ſcelus, quod maritus deteſtandæ uxoris voluntati, & legibus prohibitæ, paruit, oculoſque morituræ innoxii ſanguinis profuſione, impio ad poſteritatem exemplo, ſatiari voluit. Reſerunt facinus Aimoinus, lib. III. de reb geſt. Francor. cap. XXXIII. Gregor. Turonenſis, Hiſt. Franc. lib. V. num. XXXV. Jo. Tritthemius, Compend. Annal. lib I. Steph. Forcatulus, de Imp. & Phi-
18 los. Gallor. lib. IV. Parili infamia laborat Alexander. M. qui Glaucum Medicum, Hephæſtione mortuo, egit in crucem.

Neque

©BIU Santé

Neque enim hic Medici, sed sua ipsius culpa perierat, quod capit. XIII. monuimus. Sceleſtior omnibus Antoninus Caracalla Imperator, qui, quum fruſtra Medicis perſuadere conatus eſſet, ut Severum Imperatorem veneno tollerent, crimen recuſantes, mortuo ex intervallo Severo, ſupplicio adfecit, ſi Herodiano credimus, Hiſtoriarum lib III. Superiori etiam ſeculo Gabriel Zerbus, Medicus Italus doctiſſimus, in Illyricum vel Myſiam vocatus, quum ſanitati Satrapam Turcicum reſtituere non poſſet, Satellitum acinacibus crudeliter conciſus fuit, referente Brunone Seidelio, lib. de morbis incurabilibus. *Quidquid* tamen *Medicus per imperitiam commiſit, imputari ipſi omnino debet*, inquit Ulpianus, *nec prætextu humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo, innoxium eſſe*. L illicitas. VI. §. ſicuti D. de officio Præſidis. *Imperitia enim culpæ annumeratur*. L. Si ſervus. XXVII. §. ſi calicem. XIIX. D. ad L. Aquiliam. Et jam olim actio in tali caſu data eſt in Medicum, affinibus juvenis cujuſdam, ut refert Galenus, lib. I. Prognoſt. in princ. Ac tametſi, qui ita peccant, non plectantur pœna ordinaria Legis Corneliæ de Sicariis, quæ in eos ſtatuta eſt, qui dolo interficiunt, extra ordinem tamen puniuntur, non corporali, aut capitali pœna niſi circumſtantiæ ſuadeant pœnam exaſperandam, ſed arbitraria:

Nach geſtalt vnd gelegenheit der ſachen / vnd nach Rath der verſtendigen.

ut habent verba Caroli V. Imp. Conſtitut. Criminal. artic. XXXIV. Exilio quoſdam, vel interdictione medicinam in poſterum faciendi punitos, exemplis docent Julius Clarus in §. homicid. num. XVII. Petrus Heigius part. II. quæſt. XXVI. num. LVI. Verum ut eo revertamur, unde ſumus digreſſi, imperitiæ crimen nunquam cadit in eos, quos σμικρὰ ἁμαρτάνειν dixit Hippocrates, quum neque ſe ipſum horum numero eximere videatur, dum

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 185 sur 248

©BIU Santé

in Epiſt. ad Democr. *ſe quanquam ſenem, artis finem*, ſummam nempe perfectionem, *nondum attigiſſe*, ingenue fate-
22 tur. Itaque ſenſus eſt verborum; utut leviter aliquando, etiam à perito Medico, errari poſſit, ſe tamen longiſſime abfuturum ab omni malitia injuriave voluntaria, nec daturum operam, ut prolongetur morbus, aut augeantur dolores, nec momentum illud καιρὸν, ſeu *occaſionis curandi*, quod ὀξὺ vocat Hippocrates in princ. Aphoriſ. & caput ſanationis, aut quidquam aliud, quod ex uſu eſſe queat, maligne neglecturum: ſed κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν, ut alias loqui ſolet, ſolam ægri ſalutem quæſiturum, neque alia in-
23 tentione ægrotantium ædes ingreſſurum. Videamus vero & cætera contextus verba, in quibus alia exemplaria pro φθορίης, legunt φθορῆς, ſenſu neutiquam diverſo, ſi preſ-
24 ſius rem intueamur. Joannes Gorrhæus quidem per φθορίλω abortivi fœtus ejectionem & corruptionem hic intelligit. At ego cauſſam non video, ob quam Hippocrates, qui conciſus admodum eſſe amat, & plura paucis involvere, denuo recoquere heic loci id voluerit, de quo jam ante in præcedentibus rem ſatis expediverat. Poſtquam enim jurarat ſe mulieri peſſum φθόριον non præſcripturum, quid opus erat altera nunc vice, odioſa reiteratione, denuo φθορίλω, ſi Gorrhæi ſenſu vocabulum capias, ejurare? Gloſſæ Scaligeri φθορίλω interpretantur βλάβλω. βλάβη autem *noxam, damnum* notat. Unde δίκη βλάβης, *actio damni dati*; & δίκη βλάβης τετραπόδων, *actio damni*, ſeu *pauperiei, quum quadrupes fecerit*; de qua Legem olim à Solone latam, Plutarchus auctor eſt, in ejus vita. Verum & hæc interpretatio παρολογίας inſimulat Hippocratem. Qui enim ægrotantium ædes non niſi ad eorundem emolumentum, & ab omni injuria voluntaria alienum, ſe ingreſſurum dejerat, is eadem opera omnem ſi-

mul

©BIU Santé

mul damni illationem deteſtatur. Itaque cum Anutio 25
Foëſio per φθορὰν *omnem morum corruptelam*, & *vitam omni ſcelere inquinatam* intelligo, nec tam animi, uti ſupra, quam *corporis impuritatem*, & *pudorem devoratum*, aut *pudicitiam proſtitutam*, Hippocratem innuere æſtimo. Eſt enim φθορὴ, idem quod φθορὰ, quam Gloſſarium vetus διαφθορὰν, & *ſtuprum* indigetat, quo ſenſu Apulejus, lib. III. Florid. utitur vocabulo *corruptelæ*. Notumque alias eſt, διαφθείρειν, & *corrumpere*, inter verba eſſe nupta. Ita Plutarchus in Camillo, διεφθαρκὼς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα· qua phraſi aliquotiens etiam in Galba, & alibi utitur. Heraclides de Politia Samior. τὸ γύναιον αὐτοῦ διαφθείρων, atque ita paſſim alii. E Latinis Suetonius in Julio Cæſare cap. L. *Conſtans opinio eſt, plurimaſque & illuſtres fœminas corrupiſſe*. & in Domitiano cap. XXII. *poſt alii collocatam ultro corrupit*. Juvenalis Sat. I.

—— —— *Nurus corruptor avarus.*

Hanc genuinam Hippocratis eſſe ſententiam, verba do- 26
cent quæ ſequuntur, quibus ejurare diſcipulos adigit, φθορίῃ τε καὶ λύμῃ, καὶ ἀφροδίσια ἔργα. Hoc enim vult dicere, alienos eos oportere eſſe ab omni φθορῇ, ſeu *corruptela*, tum alia, tum maxime ea, quæ *res venerias* concernit. Fruſtra nempe hic iterum eſt Gorrhæus, & citra 27
neceſſitatem pro ἄλλης legendum cenſet ἄλης, ſimplici λ, quam interpretatur *fraudem*. Sane non nego ἄλλῳ, ut 28
Heſychius in Lexico. Erotianus in voce ἀλαζονες. Suidas in voce ἄλη, & Auctor Etymologici, explicant, idem eſſe quod πλάνη. Et Phavorinus in Lexico: ἄλη, inquit, ἡ πλάνη. ὅθεν καὶ τὸ ἀλῶ, τὸ πλανῶ· & paullo poſt ἀλῶμαι, τὸ πλανῶμαι. πλάνη vero idem eſſe quod ἀπάτη, ſeu *fraudem*, Heſychius iterum notat; quemadmodum viciſſim,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 187 sur 248

©BIU Santé.

τὸ ἐξαπάτησον, quod est apud Oppianum Halieut. lib. III.
29 Scholiastes Græcus explicat per ἐπλάνησον. Neque aliunde est Latinum *planus*, quod *erronem* significat, *impostorem*, *circulatorem*. Cicero Orat. pro A. Cluent. *Hic ille planus improbissimus*. Balbus Catholico: *Implanare*, *decipere*, vel *in errorem ducere*. Antiqua bibliorum versio, in Siracidis cap. XV. *Non dicas*, *me implanavit*, & cap. XXXIV. *Qui implanatus est*, *abundat nequitia*. Sed de his alibi plenius. Hæc vero omnia opinioni Gorrhæi confirmandæ adducere possem, essetque ex ipsius mente sensus Hippocratis verborum; alienum se futurum ab omni fœtus corruptione, fraude, reique veneriæ cupiditate. Verum, ut dixi, neque tautologia hæc nobis placet, ab Hippocratis stilo aliena, nec lectio mutanda, quæ proba est, & priora
30 cum sequentibus recte & immediate connectit. Porro ἔργα ἀφροδίσια, honesta circumloquutione Hippocrates vocat ipsum Veneris usum, loquendi formula aliis etiam auctoribus familiari. Ita de virgine ἐρώτων ἀμυήτῳ (aut ut Musæus Heronem Leandri vocat, γάμων ἀδιδάκτῳ) Hesiodus ἔργων β.

Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρυσοῦ Ἀφροδίτης.

Aureolæ nondum cognoscens res Aphrodites.

Quemadmodum Anthol. lib. III. tit. εἰς γυναῖκας. matura virgo dicitur,

Ἀκμαίη πρὸς ἔρωτα, καὶ ἡδέα κύπριδος ἔργα.

Jam matura ad amorem, & jucundas Veneris res.

Longus Sophista, Pastoral. lib. III. ἔρωτος ἔργα, eodem sensu non una vice dixit: quemadmodum & Lucretius lib. IV. fœminam viro ait jungi, per *jucundas Veneris res* Oppia-

©BIU Santé

pianus Halieut, lib. I. ἔργα Δίνης, ἢ σωτηρίαν vocat: Homerus Iliad. ε. & Nonnus Dionys. lib. XLII. ἔργα γάμοιο, ipsas nuptias. Plutarchus in Solone, nuptiis senum deesse dixit ἔργον γαμήλιον, καὶ τέλος, ac propterea esse ἀώρους & ἀκαίρους ἐπιπλοκάς, sive *incongruas ingratasque copulationes*. Vbi ἔργον γαμήλιον, est *patratio* ipsa *nuptialis*, τέλος, *liberorum procreatio*. Longus, quem dixi, Pastoral. lib. IV. & Anonymus Antholog. lib. II. titulo. εἰς ἀσελγεῖς. ἔργα γυναικῶν, appellant ἢ τὰ ἀσελγείαν τὴν γυναικοπαθείων. Neque 31
aliter fere Demosthenes non uno in loco utitur verbo ἐργάζεσθαι. Quemadmodum idem Orat. in Neæram, ἐργαστήριον, vocat tabernam meritoriam; & alibi ἐργασίαν, *quæstum corporis*: ut docet doctissimus Guilielmus Budæus in Commentario Linguæ Græcæ. Petronius Satyrico *opus* 32
dixit: *Qui muliebre opus in ergastulo fecit*; Plautus *operas*. Asinar. act III. sc. III.

Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas.

Hinc Solon & Draco, ut est in L. XXIV. §. quod ait. D. ad L. Iul. de adult. ἐν ἔργῳ de prehendi dixerunt *in ipso opere* 33
venerio, aut *patratione*, sive ut loquitur L. XCVI. D. de verborum obligat. *in ipso facinore* Theocritus Eidyll. IV. hoc sensu honeste ἐνεργέοντα dixit senecionem illum, cui μύλλονλα ἐρώμενα suam supervenerat Corydon. Græcis alias 34
est ἐπ' αὐτοφώρῳ, methaphora à furtis deducta, ut videre est apud D. Ioannem Evangelistam cap. IIX. versu IV. In lege Attica, quam recitat Lucianus in Eunucho, sic deprehensi dicebantur ἄρθρα ἐν ἄρθροις habuisse. Cæterum de castitate Medico servanda, & pudicitia, quam non 35
immerito *primum virtutis honorem* Horatius vocat, lib. I. Sat. VI. elegans alius est locus Auctoris nostri lib. de Medico. *Cum ægro*, inquit, *Medico non parum est commercii.*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 189 sur 248

©BIU Santé

Illi enim huic ſeſe tractandos ſubmittunt, iſque nunquam non fere cum mulieribus & virginibus converſatur, reſque magni pretij contrectat, à quibus omnibus ſibi temperare debet. Atque eodem reſpicit Galenus, quando lib. quod opt. Med. ſit Philoſ. ait, *non licere cuiquam eſſe induſtrio, qui ſe aut vino obruat, aut cibis expleat, aut Veneri dedat, pudendis denique & ventri indulgeat.* Idem inculcat Arnaldus Villanovanus, *Medicus*, inquit, *ſit honeſtus in thalamis; deliteſcat in eo flamma libidinis.* lib. de calculo cap. III. Atque iterum, lib. de cautelis Medic. *Hoc unum*, inquit, *præterea moneo, ne Medicus ægroti vel ancillam, vel filiam, vel uxorem reſpiciat oculo ſiniſtro, nec cupido, nec funis eum decipiat mulierum.* Nec, quod Franciſcus Ripa ait, tract. de remed. ad curand. peſtem. num. LXIII.

Morborum cauſſas per candida brachia quærat;

aut Medicos imitetur illos apud Ioan. Baptiſtam Mantuanum, Ecloga VI.

—— —— *qui tangere venas*
Non nunquam illicitas audent.

36 Lacedæmonii, ut caſtitatem Medico ſervandam innuerent, *Æſculapium* colebant *Agniten*, ut refert Pauſanias in Laconicis. Ejus ſimulachrum erat ex ἀγνῷ (Latini *viticem*, & *agnum caſtum* vocant) frutice ſeu arbuſcula caſtimoniæ ſervandæ & libidini reſtinguendæ dicata: è cujus foliis iccirco olim matronæ Athenienſes in Theſmophoriis (quando ſegregatæ cubabant à viris,

Terque novem noctes venerem tactuſque viriles
Invetitis numerabant:

ut Ovidii verbis utar, ex lib. X. Metamorp. fabula XI) cubi-

BIU Santé

cubitus ſibi ſternebant, quod Dioſcorides lib. I. cap. CXVI. Plinius lib. XXIV. cap. IX. Galenus lib. VI. de ſimpl. medicam. facult. Ælianus de animal. lib. IX. cap. XXVI. teſtantur. Scholiaſtes tamen Theocriti, ut obiter hoc no- 37
tem, ad Eidyllion IV. non ἀγνὸν, ſeu *viticem* nominat, cujus folia αἱ θεσμοφοριάζουσαι ſibi ſubſtraverint, ſed κνίζαν, ſive, ut textus ipſe habet, κνύζαν. Hanc vero, quo minus viticem credamus, addit, φυτὸν eſſe χορτώδες, hoc eſt, *plantam herbaceam*, ſive quæ *herba* ſit, proprie dicta. Nam vitex arbuſcula eſt rei herbariæ ſcriptoribus, ſive frutex in arborem tendens. Κνίζαν autem porro Scholiaſtes ait eſſe βοτάνην ψυχρὰν, *herbam frigidam*, ac propterea ἐπέχειν τὰς πρὸς συνουσίαν ὀρέξεις, ſeu *cohercere appetitus venerios*. Sed alius 38
loci eſt de his inquirere. Franciſcus Ranchinus comm. in jusjur. Hipp. Lege VII. caſtitatis neceſſitatem in Medicis denotare ait inſigne illud, quod lauream Apollinarem adeptis, in Gallus atque etiam in Italia datur: *Zona* videlicet, cujus proprium ſit renes coercere, lubidinis magnam partem habitaculum, ut alibi docuimus, & effrenatas lumborum cupiditates temperare. Quam tamen 39
ſæpe parum penſi hæc habeat Medicorum non nemo, exempla teſtantur & hiſtoriæ. Didymonis cujuſdam memi- 40
nit Laërtius in Diogene, qui & vulgo mœchus audiebat, & falſe ob flagitia ſua aliquando à Diogene tactus fuit. Quum enim puellæ forte oculum curaret, *vide*, inquit Diogenes, *ne τὴν κόρην corrumpas*; quæ vox & *pupillam* & *virginem* deſignat. Meminit Bartholomæus Brixienſis quæſt. XXXII. medici adulteri, qui ægrotantis uxorem ſubagitarit, quod Hoſtienſis etiam retulit, Joannes Andreæ, & Panormitanus, in cap. diſcretionem. de eo qui cogn. con. uxor. ſuæ. Exemplum aliud, & vindictam ſi- 41
mul addo ex Photio Patriarcha, Biblioth. Cod. LXXI.

ex

©BIU Santé

ex Cteſiæ lib. XVII. de reb. Perſ. *Mortuo Megabyzo*, inquit, *Amytis uxor* (Xerxis Perſarum Regis filia) *cum multis conſuetudinem habebat, & ante hanc ſimiliter mater Amyſtris. Apollonides vero Cous Medicus, cum Amytis leviter ægrotaret, & ipſe amore ejus captus eſſet, fore dixit, ut convaleſceret, ſi cum viris rem haberet; uteri enim eſſe morbum. Quæ cum illi ars ex voto ſucceſſiſſet, ac cum ea concubuiſſet, ubi fœminam contabeſcere vidit, abſtinuit à congreſſu. Igitur illa, morte adpropinquante, matri indixit, Apollonidem ut ulciſceretur. Hæc Regi ipſi Artaxerxi* (Xerxis filio, & Amytis fratri) *rem omnem expoſuit, ut ei conſueverit, ut poſt contumeliam abſtinuerit, & quomodo filia velle de Apollonide ſupplicium ſumi ſibi indicaſſet. Rex, quidquid matri viſum, agendi fecit poteſtatem: quæ cum vinctum Apollonidem integro bimeſtri excruciaſſet, vivum poſtea defodi eodem ipſo tempore cura-*

42 *vit, quo Amytis diem ſuum obiit.* Conſimili ſceleri obnoxius fuit Vectius Valens, celebris & inſignis cætera Medicus, ut in vitis Medicorum docuimus. Is Meſſalinæ, Claudii Imp. uxoris valetudinem regere ſolitus, adulterio ejus famam partam conſpurcavit, ſi Plinio credimus, lib. XXIX. ad ſupplicium tandem tractus à Narciſſo liberto, quod

43 Tacitus notavit, Annalium lib. XI. ſub finem. Neque aliud ob crimen male audit Eudemus, Liviæ Druſi Imperatoris uxoris Medicus, quem idem Tacitus Annal. lib. IV. *Liviæ amicum* vocat, *& ſpecie artis frequentem ſecretis*; nec omiſit Plinius loco dicto, in criminatione Medicorum. Sed artificum iſta ſunt vitia, non artis, neque huic imputari par eſt, quæ illi famæ, decoris & juramenti obliti, peccant.

CAP.

©BIU Santé

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Ἐπί τε γυναικείων σωμάτων, καὶ ἀνδρώων, ἐλευθέρων τε καὶ δούλων.]

SUMMARIA.

1. Lectiones in textu diversæ. 2. Lex ὕβρεως Solonis. 3. σώματα οἰκετικὰ. 4. Servorum conditio apud veteres. 5. Quur Hippocrates etiam servis noluerit contumeliam fieri? 6. Iuris Consultorum opinio. 7. quæ in dubium vocatur. 8. Sententia propria. 9. Sensus verborum Hippocratis. 10. Quibus masculam venerem damnat. 11. Hujus impuritas, & crimen nefandum. 12. Sodomitis olim familiare. 13. & Græcis. 14. Persis. 15. Romanis. 16. Gallis. 17. Germanis priscis incognita. 18. Dubium de his, dilutum. 19. Pœna sceleris in sacris litteris. 20. Apud Græcos, 21. Gothos. 22. Romanos. 23. Lex Scantinia. 24. Exempla à Romanis punitorum. 25. Rescriptum Constantii & Constantis, & Iustiniani Imp. 26. Leonis & Constantini. 27. Valentini, Theodosii & Valentiniani. 28. Iustiniani alia sententia. 29. Censura Ecclesiastica in scelus illud. 30. Constantini & Constantis rescriptum explicatum. 31. Nubere in fœminam. 32. Porrigere, arrigere, ἀφροδήσια. 33. A Dionysio Gothofredo dissensum. 34. Charondæ Lex. 35. & Persarum.

QUanquam præsens textus cum superiori proxime cohæreat, unaque opera de eo in præcedentibus agi potuisset, tamen quia plura de eo dicere habemus, peculiare ipsi caput dare voluimus. Pro ἀνδρώων autem, Basilienſis editio legit ἀνδρείων; Zuingeri editio habet ἀνδρῶν, & in margine ἀνδρείων, quam lectionem etiam esse in MS. Mauritii Cordæi, notat Obsopœus. Rectius omnino ἀνδρώων legemus, aut ἀνδρείων, quam ἀνδρῶν: quod hoc non æque respondeat substantivo σωμάτων, jam ante cum adjectivo γυναικείων copulato, ut par erat. Ejurata autem in genere libidine, Hippocrates ulterius pergit, & pressius personas omnes tangit, notatque in quas libidinari Medicum futurum nolit. Digitum autem videtur intendere in Solonis Νόμον τὸν ὕβρεως, sive *Legem Contumeliæ*, quæ apud Demosthenem 1 2

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 193 sur 248

©BIU Santé

extat, Orat. in Midiam, & Æſchinem Orat. adu. Timarch. Ea enim non tantum pueris ingenuis contumelia inferri prohibetur, ſed quibuſvis etiam perſonis aliis, quas uno com-
3 plexu σώματα Æſchines vocat οἰκεῖνα, ſeu *domeſtica*, aut *familiæ corpora*. Contumelia nempe omnis, ſive εἰς παῖδα, ἢ ἄνδρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τῶν ἐλευθέρων τινὰ, ἢ τῶν δούλων. Quæ verba eadem fere ſunt cum Hippocraticis. Erant quidem ſervi ſervæque olim apud gentes conditionis duriſſimæ, ut nec perſonam haberent, neque jus ullum, ut vult Paullus JC. L. quod attinet. D. de R. I. & L. 111. D. de cap. dimin. ac propterea nec injuria adfici poterant, arg. §. ſervis. 111. Inſtit. de
4 Injur. Quare non ſine cauſſa Æſchines ait, quæri poſſe, quur Legi Contumeliæ ſervorum nomen adſcripſerit Legiſlator, ſi injuria adfici nequeunt? Reſpondet autem ipſus. Non ſervos quidem tanti feciſſe Solonem; ſed quia Athenienſes conſuefacere voluerit, ut ab ingenuorum contumelia ſibi temperarent, adſcripſiſſe, ne ſervis quidem eam faciendam. Atque huc reſpexiſſe Solonem in alia etiam lege, qua ſpontaneam ſervi necem capitis ſupplicio luendam ſtatuerat, auctor eſt Diodorus Siculus lib. 1. cap. LXXVII. Et Solonis quidem, leges illas laturi, mens ea eſſe potuit.
5 De Hippocrate, quem eodem reſpexiſſe dici poterat, aliter ſentio. Neque enim hunc adſcriptione ſervilis nominis in jusjurandum, tantum longius ab ingenuorum contumeliis diſcipulos abducere; ſed in utriſque idem crimen eſſe τὴν ὕβριν, maximeque deteſtandum, docere voluiſſe, perſua-
6 ſiſſimum habeo. Et ſi Juris civilis interpretes hic conſulere velimus, dicent illi, opinor, reſpexiſſe Hippocratem *Jus naturæ*, quo *omnes ſunt æquales*, L. quod attinet. XXXII. de R. J. *omnes liberi*, L. IV. de Iuſt. & jure, & Inſt. de libertin. *Iure* enim *gentium ſervitutem primum introductam*, vult Lex IV. §. 1. de ſtatu hom. *& ab eo jus naturæ ſuppreſſum, & conſtitutam ſervitutem contra naturam*, §. ſervitus. Inſt. lib. 1.

contra

BIU Santé

contra libertatem naturalem, Cod. de SC. Claud. toll. Atque hoc ajunt velle Senecam Philosophum, quando ait Epist. XXXII. *Quid est eques Romanus, aut libertinus, aut servus? nomina ex ambitione aut injuria profecta*: & Philonem lib. de vita contempl. *Natura liberos omnes genuit, sed avaritia, legum contemtrix, servitutem induxit*. Itaque ex horum opinione Hippocrates Legis naturæ respectu non minus à servorum quam liberorum contumeliis abstinendum censuerit: quod, ut iterum loquamur cum Seneca, lib. I. de Clem. cap. XIIX. *quum in servum omnia liceant, sit tamen, quod in hominem non licere commune jus animantum vetet; quia ejusdem naturæ sit, cujus omnes.* Verum sub judice adhuc lis pendet, nec Phi- 7
losophi Juris Consultis concedent, servitutem esse contra naturam, sed naturalem potius, quæ Aristotelis est sententia lib. I. Polit. cap. III. & IV. quam sequuntur Jo. Sepulveda, Jo. Casus, Obertus Giphanius, Anton. Montecatinus, Jul. Pacius in Commentariis suis ad Arist. Franc. item Piccolhomineus Moral. virt. Gradu X. cap. VI. Dominicus à Soto de Iust. & Iure libr. IV. quæst. II. artic. II. Franc. Connanus lib. II. Comm. Jur. Civil. cap. I. num. IV. & V. Jo. Bodinus lib. I. de Rep. cap. V. atque alii. Maxime tamen eam defendit CL. Henningus Arnisæus, amicus olim noster, & in Academia Iulia Collega, lib. I. de Rep. sect. III. num. II. & seqq. cumprimis vero Opusculo peculiari de servitute adversus calumniatorem quendam suum, quod opera heredum brevi nos habituros speramus. Præstabit itaq; 8
dicere, licet maximum semper fuerit dominium, magnaque potestas Dominorum in servos, semper tamen eos, qui Rebuspubl. præfuere, id operam dedisse, ut caverent prohiberentque, ne quis etiam servis privatis abuteretur pro libidine, ad contumeliam infamemque injuriam, ut patet ex Justiniano, Inst. lib. I. tit. IIX. & Ulpiano L. II. de his qui sunt sui juris. Licet enim operas Dominis negare nequeant

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 195 sur 248

©BIU Santé

ſervi, tamen per eas non aliæ intelliguntur, quam quæ honeſte fieri poſſunt. *Quæ* enim ſecus ſe habent, & *pietatem lædunt, exiſtimationem, verecundiam, & contra bonos mores ſunt, ea nec facere nos poſſe credendum eſt*, ait Papinianus L. filius. xv. D. de condit. Inſtit. Unde ad ſcelera & facinora vocati ſervi Dominis parere non tenentur, aut ſi pareant, non impune habent, ex mente Ulpiani, L. is qui putcum. xi. §. an ignoſcitur. D. quod vi aut clam. & Alfeni Vari, L. ſervus non in omnibus. xx. D. de obligat. & act. quum publica delicta prætextu domeſtici dominii excuſari non poſſint. Unde etiam ſervi, licet alias Dominos accuſare non poterant, ex Arcadii & Honorii Impp. reſcripto, L. ſi quis. xx. C. de his qui accuſare non poſſunt: tamen, ut verecunde expoſtulent coram Urbis Præfecto, ſi ad obſcœnitatem compellantur, conceſſit Ulpianus §. quod autem. IIx. D. de Off. Præf. Urbis. Atque hoc eſt quod tangit Seneca lib. I. de Clement. XI IX. ubi ait: *In mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune*
9 *pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura*. Dicamus itaque, Hippocratem rem ipſam hoc in loco æſtimaſſe, & in diſcipulis deteſtatum, non perſonas: omnes tamen diſertim enumeraſſe, ut in nulla flagitium licere oſtenderet. Hoc tantum addo, ſi in priſcorum ſervilibns perſonis res ita habet, nemo ſequius quid de noſtri temporis ſervis præſumat, qui mitiorem longe, fereque diverſam ſervitutem
10 ſerviunt. Per corpora autem ſive ſerva, ſive libera, quia tam maſcula, quam fœminea intelligit Hippocrates; oſtendere porro voluit, ſe non eam tantum, quæ ſecundum naturam luxuriat inter mortales, damnare venerem, ſed & alteram illam, qua παρὰ φύσιν homines nequam operantur iniquitatem: de quibus Anthologia Græca, lib. II. tit. εἰς ἀσελγεῖς, ait:

Ἀνέρας ἐρρήσαντο, καὶ οὐκ ἐθέλουσι γυναῖκες·
Οὐτ' ἄνδρες μεμάασιν, ἐπεὶ πάθον ἔργα γυναικῶν.
Οὐδὲ γυναῖκες ἔασιν, ἐπεὶ φύσιν ἔλλαχον ἀνδρῶν.
Ἀνέρες εἰσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν εἰσὶ γυναῖκες. quæ

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 196 sur 248

©BIU Santé

quæ interpretari latine non libet. Eſt enim flagitium exe- 11
crandum, ut & *abominatio* in ſacris vocetur, Levitic. cap. XIIX. verſ. XXII. Juſtinianus Imp. *luxuriam illicitam atque diabolicam, actum & auſum ſacrilegum & impium, actionemque abominabilem & Deo exoſam*, vocat Novella prædicta, & Novella CXLI. Plutarcho in ἐρωτικῷ, actio eſt νόμῳ πεῤαπόδῳ, ἄχαρις παῤαπλοι, καὶ ἀστχήμων, καὶ ἀναφρόδιτος. *Actio* profecto ea, *propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ*, ut ex D. Paulo ad Epheſ. V. verſ. VI. & ad Coloſſ. III. verſ. VI. docent Canones, cap. ut Clericor. de vita & honeſt. Cler. & cap. Clerici extravag. de exceſſ. prælat. & *quo ipſa ſocietas, quæ cum Deo eſſe nobis debebat, violatur, dum eadem natura, cujus ipſe eſt auctor, libidine polluitur*. Can. flagitia. XXXII. quæſt. VII. cujus dedecus ex Ethnicis Paullus IC. L. iſti quidem. IIX. D. de eo quod metus cauſſa. tantum eſſe cenſuit, ut mortem potius eligendam, quam id patiendum, reſponderit. Scelus 12
id Sodomitis familiare fuiſſe, atque ex eo *Sodomiæ* nomen defluxiſſe, ſacrarum litterarum docent interpretes, & Canones cap. hoc ipſum. §. hoc autem. XXX. quæſt. II. Inter profanos auctores, ejus nefariam inventionem Scholiaſtes Æſchyli, ἐν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, Laio tribuit, Oedipi patri, de quo ait, quod πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀῤῥενοφθορίαν ἐπεδείξεν. Heraclides in Politiis, Cretenſibus adſcribit, nihilque ait 13
eam rem apud ipſos ignominiæ habuiſſe aut turpitudinis. Heraclidi adſtipulatur Timæus, apud Athenæum lib. XIII. & poſt Cretenſes, multas Græciæ civitates, licet cætera legibus recte adminiſtrarentur, idem crimen recepiſſe addit, & probaſſe. A Græcis flagitium ad Perſas ivit, Herodoto 14
auctore lib. I. quanquam Græcos à Perſis habere contendat Plutarchus, lib. de Herodoti malignit. A Græcis recta tranſiit ad Romanos, ab initio pro delicto adeo tenui habitum, 15
ut Senecca Rhetor lib. IV. Controverſ. ex Aterii tamen Declamatoris ſententia, non vereatur dicere, *impudicitiam illam in ingenuo quidem crimen eſſe, at in ſervo neceſſitatem, in liberto officium.*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 197 sur 248

©BIU Santé

16 *officium*. Demum & Gallis, à Maſſilienſibus Græcis edoctis, ſive infectis, tantopere idem flagitium complacuit, ut nulli apud ipſos fuerit pudori, aut ſe aut alios eo contaminaſſe. Aliquando etiam apud eoſdem rem eo deveniſſe, ut nefariam ſancirent legem, ne cui duxiſſe uxorem liceret, qui prius uxoriam non impleſſet functionem, refert Cæl. Rhodoginius, antiqu. lect. lib. XV. cap. X. Hinc Celtas hoc nomine traducunt paſſim Ariſtoteles, lib. II. Polit. cap. IX. Diodorus Siculus, Biblioth. lib. V. Strabo, Geogr. lib. IV. A-
17 thenæus, lib. XIII. De majoribus noſtris, priſcis illis Germanis, Quinctilianus in Declamat. pro Mariano milite, cujus pudicitiam tentaverat Tribunus; *nihil tale*, inquit, *novere Ger-*
18 *mani: & ſanctius ad Oceanum vivitur*. De Taciti tamen loco, qui eſt lib. de German. cui ſimilis eſt alius apud Sextum Philoſophum, Pyrrhon. Hypotypos lib. III. cap. XXIV. qui noſtræ nationi à non nemine objici ſolet, adi I. Lipſium in Comm. ad Tacit. & præ aliis Phil. Cluverium, qui de Gallis id accipiendum, aut Gallorum accolis Germanis, pluribus oſtendit, German. antiq. lib. I. cap. XIX. Progreſſu vero temporis graviter à pleriſque, & ut magnitudo
19 ſceleris poſtulabat, in delinquentes animadverſum fuit. Divinis ſane legibus morti jam olim præſtinabantur. Levit.
20 cap. XX. verſ. XIII. Athenis capite plecti ſolitos, Æſchines loco laudato ex Solone notat. De Spartanis ait Ælianus, Hiſtor. Var. lib. III. cap. XII. *Sive adoleſcens auſus ſit ſtuprum pati, aut amator inferre, neutri conſultum fuerit Spartæ manere: aut enim è patria diſcedendum eis, aut, quod gravius, è vita.*
21 Gotthi partem illam, quæ potiſſimum peccarat, præſecabant, ut eſt in L. III. Cod. Wiſigotthi. de inceſt. L. III. tit. V. Legem eam à Chindiſwaldo, Gotthorum Rege latam, re-
22 citat Petrus Gregorius Syntagm. lib. XXVI. cap. X. Ut ad Romanos tranſeamus, ſcribit quidem Clemens Alexandrinus, Pædag. lib. III cap. III. eum qui contra naturam fæminis

BIU Santé

nis abusus fuisset, vivum defodi censuisse veteres Romanos Legislatores. Quinam vero hi fuerint, me quidem latet. Hoc scio Romanos ab initio cum ἀρρενοφθόροις egisse *Lege Scantinia*, cujus mentio apud Ciceronem lib. IIX. Epist. XII. Suetonium in Domitiano cap. IIX. Ausonium Epigramm. IXXXIIX. nomenque obtinuit à C. Scantinio Capitolino, Trib. plebis, apud Valerium Maximum lib. VI. cap. I. & Plutarchum in Marcello: cui dies dictus erat à M. Claudio Marcello, Ædili Curuli, quod hujus filium de stupro compellasset. Ejus tamen pœna non erat capitalis, sed pecuniaria, decem millium, ut habet Quinctilianus, lib. IV. cap. V. sub fin. quod crimen, ut dixi, leviculum censeretur. Atque ita censuisse etiam arbitror Ulpianum, L. I. §. remanet. D. de postul. quando muliebria passum non alia pœna adfici à Prætore notat, quam remotione à subselliis. At postmodum pœna cœpit exasperari, factumque, ut primum C. Marius Imp. Clusum sororis suæ filium, Tribunum militum, à Cælio Plotio manipulario milite, quem Clusus de stupro compellarat, juste cæsum pronunciaret, referente Cicerone, Orat. pro Milone. Valerio Maximo, lib. VI. cap. I. Plutarcho in Mario. Lucullus porro Consul, Romanum, Chæroneæ præfectum, à Damone Peripolta, cujus pudicitiam tentarat, mox recusantem vi cogere conatus fuerat, in foro sacrificantem, juste ob turpem injuriam cæsum judicavit, Damonemque & adolescentes aliquot alios, cædis adjutores absolvit, ut Plutarchus habet in Lucullo. Cajus Latorius item, cognomento Marcus, militum bello Samnitico Tribunus, quod contubernali, libidini ejus morigerari nolenti, vim parasset, apud Pop. Rom. accusatus, capitis damnatus fuit, auctore Suida in Λατώριος. Et C. Fescenninus Triumvir, C. Cornelium militem fortissimum, quod cum adolescente stupri commercium habuisset, vinculis primum oneravit; mox, licet Cornelius prætenderet, quod puerum non

23

24

©BIU Santé

non primus corrupiſſet, qui pridem vulgo quæſtum corpore feciſſet, atque adhuc faceret, in carcere mori coëgit: nefas illud, quia natura, legibus, & moribus ſit prohibitum, neque in volentem committi oportere cenſens, ut ait Valer. Maximus, loco adducto. Quin etiam, quum Cominius, Tribunus plebis, M. Lectorio Mergo, Tribuno militum, qui Cornicularium ſuum ſtupri cauſſa appellarat, diem ad Populum Rom. dixiſſet, atque hic metu ferendæ ſententiæ ante diem judicii primum fuga ſe ſubtraxiſſet, mox etiam vita privaret: fato tamen functus, poſt mortem adeo univerſæ plebis ſententia crimine impudicitiæ eſt damnatus. *Atque illum*, ut iterum inquit Val. Maximus, *militaria ſigna, ſacratæ aquilæ, & certiſſima Romani Imperii cuſtos, ſevera caſtrorum diſciplina, uſque ad inferos proſequuta eſt. Quoniam cujus virtutis magiſter eſſe debuerat, ſanctitatis corruptor tentavit exi-*
25 *ſtere.* Deinceps id genus ſceleroſos Conſtantius & Conſtans Impp. ultore gladio puniri, peculiari Reſcripto juſſerunt; quos ſequitur Juſtinianus Imp. ff. item Lex Julia. Inſt. de publ. judic. & in Novellis laudatis ſubdi præcipit acer-
26 bioribus & ultimis ſuppliciis. Eclogæ etiam Leonis, & Conſtantini Augg. tit XXIIX. L. XXI. de pœnis criminal. delict. Romanas leges ſequutæ, θῦν ἀσελγεῖς, τὴν τε πυξίνην, καὶ τὴν ἰσοτέμονα, ξίφει πυρεῖσθαι jubent: niſi ὁ ἰσοτέμων minor ſit annis XII. hujus enim ætatem indicio eſſe, non ſcire eum quæ pa-
27 titur. Valentino, Theodoſio & Arcadio Imppp. comburi
28 eos placuit, ut eſt in L. VI. Cod. Theodoſ. Immo & Juſtinianus, quod de Gothis diximus, partem illam, qua ſumus id, quod ſumus, amputari impuris iſtis voluit. Cauſſam rogatus, *annon*, inquit, *ſi ſacrilegium commiſiſſent, manus illis ſuiſſent amputandæ?* referente Zonara Annal. Tomo III. & Paullo Diacono lib. XVI. Quumque anno Imperii ejus ſecundo Eſaias Rhodi, & Alexander Dioſpoleos Thraciæ Epiſcopi, aliique multi hoc ſcelere inquinati deprehderentur,

©BIU Santé

tur, aliis quidem idem Imperator veretrum præſecari, aliis calamos acutos in meatus genitalis inſeri, ac nudos quaſi in triumpho produci juſſit. Senatorum quoque, civium, & ſummorum Pontificum multi, eidem culpæ obnoxii, caſtrati & publice nudi in forum producti, miſerabiliter perierunt, ſuoquè exemplo alios pudicitiam colere docuerunt, inquit Cedrenus. Cenſura vero Eccleſiaſtica τ ἀῤῥενοφθόρων, 29
ſub Orientis Imperatorum regimine graviſſima erat. Domum enim precationis, ut Harmenopulus refert, in Epitome SS. Canonum. ſect. v. tit. III. num. XLI. non ante ipſis ingredi licebat, quam à nefario ſcelere deſtitiſſent; & tunc ploraſſent triennium (hoc eſt, ut Philotheus Patriarcha explicat in ſchol. ſtantes extra Eccleſiam, & rogantes eos, qui ingrediebantur, ut pro ſe orent) triennium deinde ſuccubuiſſent (hoc eſt, ſtantes intra Eccleſiam poſt ſuggeſtum, & cum cathechumenis ante κοινωνίαν exeuntes) & demum triennium ſtetiſſent (ſcilicet cum fidelibus orantes, necdum tamen ſacramenta percipientes, niſi triennio iterum exacto) atque ita demum rurſus admitterentur in ſinum Eccleſiæ, & ad κοινωνίαν, atque ἁγιάσματα, ut vocant Græci, ſive *ſacrorum communionem*. Cæterum Conſtantini & Conſtantis Re- 30
ſcriptum, cujus meminimus, extat Codicis lib. IX. tit. IX. quod quia elegans eſt, & quædam in eo minus liquent, non pigrabor adſcribere. Ita autem habet: *Quum vir nubit in fœminam viris porrecturam quid cupiatur ubi ſexus perdidit locum? ubi ſcelus eſt, quod non proficit ſcire? ubi Venus mutatur in aliam formam? ubi amor quæritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel futuri ſunt rei.* Jac. Revardus lib. IV. Variar. hic legendum cenſet, *in fœmina viris porrectura*, caſu ſexto; alii, *in fœmina viris projectura*; alii, *paritura*: omnes male. Etenim vulgata lectio rectiſſime habet, liquido manifeſtoque ſenſu. *Nubere* enim *in fœminam* vir dicitur, quando γυναικὶ 31
 παθεῖ;

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 201 sur 248

©BIU Santé

παθεῖ; additurque *virùs porrecturam*, ut plenius res exprimatur.
32 *Porrigere* enim in fœminis, & *arrigere* in viris, inter ea ſunt, quæ honeſte apertius dicere non licet. Quod vero dicitur *venerem mutari in alteram formam*, eſt id, quod D. Paullus Epiſt.
33 ad Rom. cap. I. verſ. XXVI. & XXVII. ait: μεταλλαξαι τὴν φυσικὴν χρῆσιν; ut non opus ſit hoc interpretari de mutatione habitus, qua οἱ παθέντες fœminarum in morem veſtiebantur, ut Dionyſ. Gothofredus ad d. L. pluribus ex Lampridio, Dione ac Martiali probare ſatagit. Quod placuiſſe etiam video Rævardo, loco adducto, & Jac. Menochio arbitrar. Judic. lib. II. centur. III. caſu CCLXXVI. num. XI. Pro *videtur*, rectiſſime ex MSS. reponas, *invenitur*. Volunt enim Impp. *quæri, non inveniri amorem*: quod talis ſit,

——— *qui non utrinque reſolvat*,

ut Ovidius, à flagitio hoc averſus, judicat, lib. II. de arte. qua de re adeat qui volet, & videat Lucianum Dialogo, quem Amores inſcripſit. Mihi plenius iſta non lubet, nec operæ fuerit precium, explicare. Stobæus Charondæ legem
34 oggerit: ΜΗΔΕΙC ΑΙCΧΡΟΡΡΗΜΟΝΕΙΤΩ. Idem Per-
35 ſarum lex volebat, quam commemorat lib. I. Herodotus: Ὁπόσα πιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι; *quæ facere eſt nefas, ea nec profari licet*: & Iſocrates repetit Paræneſi ad Demonic. Ἃ πιέειν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν; *quæ factu turpia, ea nec dictu pulchra arbitrare*. Verum jam pridem ſatis dixi, quum recte, quidquid hujus eſt ſceleris, id eſſe dicant optimi Impp. *quod non proficiat ſcire*. Quod ſi cui tamen ſcire libeat, is una & pœnas diſcat nefandi flagitii; cui fini iſta diximus.

CAPUT

BIU Santé

CAPUT DECIMUM NONUM.

Ἄλλ' ἂν ἐν ἰητρείῃ ἴδω, ἢ ἀκούσω, ἢ ἐξ ἄλλου ἰητρείας καὶ βίου ἀνθρώπων, ἃ μὴ χρὴ πολλὰ ἐκκαλέεσθαι ἔξω, σιγήσομαι· ἄῤῥητα ἡγεύμενος τὰ τοιαῦτα.]

SUMMARIA.

1. *Diversa in textu lectio.* 2. *Anacharsis Scytha quo schemate dormierit.* 3. *Hippocratis monitum de silentio servando.* 4. *De silentio consilium Periandri.* 5. *& Siracidis.* 6. *& Agamemnonis.* 7. *Silentii usus.* 8. *Garrulitatis noxæ.* 9. *Ejus abominatio.* 10. *Philosophorum silentii indictio.* 11. ἐχεμυθία. 12. *Pythagoricorum silentium.* 13. *Medico maxime convenit silentium.* 14. *Harpocratis simulachrum in templis Isidis & Sarapidis.* 15. *Silentium Medicorum fundatur in Iure naturali.* 16. *Medicus à Iudice interrogatus an secreta ægrotorum revelare teneatur?* 17. *Scrupulus à Valleriola injectus.* 18. *qui amovetur.* 19. *Virgilii Medicina quur muta dicta.* 20. *Sententia quorundam.* 21. *Sententia propria.* 22. *Hippocratici textus sensus.* 23. *Hippocrates ex D. Hieronymo illustratus.*

Libri alii in textu habent ἐν ἰητρείῃ, & ἄνδ' ἰητρίης, quam vocem Hippocrates etiam in Præception. & alibi usurpavit; & magis ad Jonicam dialectum. Sed ad textus explicationem progrediamur. *Anacharsin Scytham dormientem*, Clemens Alexandrinus Strom. lib. v. refert, *sinistra manu continuisse pudenda, os dextera; ut significaret, utrumque oportere quidem, majus tamen esse linguam cohibere, quam voluptatem.* Fallor, an ejusdem fuerit sententiæ Hippocrates? Certe postquam satis de libidine coërcenda egerat, ultimo nunc tandem loco de linguæ continentia discipulos monet, & serio quidem. Agit autem de silentio servando, quod etiam lib. de Medico, ab artis studioso exegerat: agit de linguæ continentia, quam non immerito Plutarchus lib. de cap. ex inim. utilit. Οὐ μικρὸν ἀρετῆς μέρος, *non minimam virtutis partem* esse ait. Et profecto rationem habere unumquemque decet,

1 2 3

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 203 sur 248

©BIU Santé

decet, ut dicenda, tacendaque calleat, nec temere ſtatim
4 aliis eloquatur, quod norit. Sequatur potius Periandri præceptum apud Laërtium lib. 1. quo λόγων ἀποῤῥήτων ἐκφο-
5 ρὰν πιεῖν vetat; aut Siracidis qui cap. XLII. verſ. XXIX. & XXX. quemvis jubet αἰσχύνεσθ ἀποκαλύψεως λόγων κρυφίων, *erubeſcere à revelatione verborum occultorum*: ita enim ἔσεσθ αἰσχυντηρὸν ἀληθινῶς, καὶ εὑρήσει χάριν ἐναντι πάντ ἀνθρώπ, *futurum ſine confuſione, & inventurum gratiam in conſpectu omnium homi-*
6 *num*. Conſilium non diſſimile Agamemnonis umbra Odyſſ. λ. dat Ulyſſi, conſuadetque

Οὔ μὰν μῦθον ἄπαντα πιφαυσκέμεν, ὅν κ' εὖ εἰδῇ·
Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθ, τὸ δέ τι κεκρυμμένον εἶναι.
Non temere ore loqui, quod fors ſub pectore condat:
Sed quædam effari, quædam ſecreta tenere.

Siquidem ut Menander olim dicebat,

Οὔτ' ἐκ χερὸς μεθῆκα καρτερὸν λίθον
Ῥᾴον κατασχεῖν, ὅτ' ἀπὸ γλώττης λόγον.
Retineri ut à te non poteſt jactus lapis:
Sic ore emiſſa verba quæ ſemel tuo.

Ex quibus ſuum illud deprompſit Horatius, Epiſt. lib. 1. Epiſt. XVIII.

Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.

7 *Silentii* contra *tutam eſſe mercedem*, ſeu ἀκίνδυνον γῆρας, ait Ariſtides in defenſ. Periclis. & *tacere*, dicente Plutarcho lib. de curioſ. in fin. *non ſitim tantum tollit*, quod volebat Hippocrates VI. Epidem. ſect. III. *ſed moleſtia inſuper & dolore*
8 *liberat*. Contra vero multiloquentia & garrulitas multis obfuit, multoſque perdidit, ut recte Xenocrates apud Valer. Maximum lib. VII. cap. II. aut Simonides apud Stobæum, Serm. XXXIII. reſponderit: *Dixiſſe me aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam*, Recte etiam Ovidius lib. II. de arte amandi:

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa, tacenda loqui.

Neque

©BIU Santé

Neque ſine ratione eum, qui, ut Terentius loquitur, Eunu- 9
cho act. I. ſc. II.

Plenus rimarum eſt, hac atque illac perfluens,

Horatius *nigrum* vocat, & *caveri* jubet lib. I. Sat. IV.

——— ——— *commiſſa tacere*
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.

comitemque in eadem aut navi aut domo habiturum per-
negat, lib. III. Carm. Ode II.

——— *Vetabo, qui Cereris ſacrum*
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, facilemque mecum
Solvat faſelum.

Hanc taciturnitatis & ſilentii utilitatem conſiderantes Phi- 10
loſophi, quotquot perfectiorem doctrinam profitebantur,
diſcipulis ſilentium imperabant, uſque dum ſincero doctri-
næ guſtu imbutis, id tandem liceret rumpere. Id genus ſi- 11
lentii Lucianus in Gallo, vocat ἐχεμυθίαν, quam explicat A-
gellius Lib. I. cap IX. Cumprimis *Pythagoras* ſapientiſſimus 12
Philoſophorum, *nihil prius diſcipulos ſuos docuit*, ut verbis utar
Apuleji, ex lib. Florid. *quam tacere, primaque apud eum medita-
tio ſapienti futuro, linguam coërcere; verbaque, quæ volantia Poë-
tæ appellant, detractis pinnis intra murum candentium dentium
premere*. Homerus Iliad, ξ. ἕρκος ὀδόντων, ſeu *vallum den-
tium* vocat. Atque iſtis Pythagoræ meditationibus Apuleius
addit, *utrumque ſe didiciſſe: & cum dicto eſt opus impigre dice-
re; & cum tacito opus eſt, libenter tacere*: quod pridem Me-
nander dixerat breviſſime:

Οὐ δεῖ, σιωπᾶν· καὶ λαλεῖν ὅταν χρεών·
Tacere, quando opus: & quando eſt opus, loqui.

Cumprimis tamen Medico ſilentium eſt ſervandum, quod 13
multa ſæpe in praxi occurrant, quæ omnium auribus inſtil-
lari non decet: multis ægri morbis graventur, quos curari,
non divulgari, ſtudioſe cupiunt: multa ſæpe Medico com-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 205 sur 248

©BIU Santé

mittant concredantque ægroti, quæ tacere ipſum prorſus, nullique hominum unquam revelare diſcupiant, ſed ut Poëta ait:

Ἔξειν ἠύτε περ κραδίην ὀρὺς, ἠὲ σίδηρος.

Tam tacita ut ferrum, vel quercus dura tenere.

Aut ut Herodotus lib. III. de Prexaſpe, jurisjurandi religione à Magis conſtricto, loquitur, ἔξειν παρ' ἑωυτῷ, μηδ' ἐξοίσειν πρὸς μηδενὶ ἀνθρώπων: *intra ſe habiturum, neque cuiquam mortalium patefacturum.* Hinc eſt quod ludæus Medicus, cujus crebra apud Arabes mentio, *Medicum* jubet *eſſe pium, ſepelientem privata, revelata ipſi,* ut habet Rhaſes, lib. XXV. Cont. cap. IX. Petrus Aponenſis conciliat. diff. II. jubet eſſe *paſſionum ignominioſarum ſibi revelatarum, occultatorem ſagacem.* Ludoicus de Avila, lib. IV. delle infermita cortegiane, cap. CXXVII. ait: *Deve il Medico eſſer diligente, ſtudioſo, di buona conſcienza, honeſto, & ſecreto, come un confeſſore*: hoc eſt; *Diligentem fas eſt eſſe Medicum, ſtudioſum, conſcientiæ puræ, honeſtum, & Confeſſionarii inſtar taciturnum:* qui

——— *quod ſuæ concreditum eſt*
Taciturnitati clam, fidei & fiduciæ,
Non enunciet cuiquam, neu faciat palam,

14 ut Plauti verbis utar, ex Trin. act. I. ſc. II. Atq; hæc fuit cauſſa, ob quam Ægyptii in Iſidis & Sarapidis tẽplis, Præſidum apud ipſos Medicinæ Deorum, Harpocratem Silentii Deum, labia digito comprimentem, adorarint, ut eſt apud Auguſtinum, lib. XIIX. de C. D. cap. V. *Quæ* enim *Medicus in morborum curationibus viderit, quæque retecta, notam ſunt ægro allatura, ceu arcanum contineat, nec cuiquam pandat: quod ignominiæ ſit plenum, ægri famam prodere, & fidei ſuæ commiſſa continere non poſſe,*
15 inquit Fr. Valleriola Enarrat. Med. lib. IV. enarr. X. Atque hæc, tenore jurisjurandi Hippocratici, ſilentii exactio & promiſſio, fundamentum habet in jure naturali, quod obligationem inducit ſervandi ſecretum, in cujus revelatione fama ho-
16 norque proximi alioquin periclitaretur. Quamobrem re-

cte

©BIU Santé

cte Joan. Azorius Inſtit. Moral. part. III. lib. III. cap. XXIX. dubit. II. ſtatuit Medicos & Chirurgos, interrogatos à Judice, ſive per denunciationem, aut inquiſitionem procedat, non obligari ad teſtificandum de ſecretis, quæ ſecreto ipſis detexerint ægroti, conſilium petentes. Majus enim eſt vinculum Juris naturalis, ſervare ſecretum, quam parere Judici interroganti. Judex enim, ſi legitimo modo interroget, nihil, quod contra jus naturale ſit, quemquam interrogare debet; minime omnium eum, quem jurejurando ad ſilentium ſervandum jam ante norit conſtrictum. Vide etiam Io. Nevizanum, Silvæ Nupt. lib. III. num. XLV. Scrupulum tamen 17
hic nobis injicit Franc. Valleriola, Enarr. Medic. lib. VI. Enarr. V. Ait enim Magiſtratuum eſſe, ne extreme contagioſi, ut ſunt Elephantiaci, à quibus infici alii poſſunt, in civitate habeantur. Et quærit proinde, ſi quis elephantiaſi laborans conſulat Medicum, auxiliumque poſcat, an non Medicus indicare illum Magiſtratui debeat, atque ita cavere, ne alii per ipſum inficiantur. Diſtinguit autem Valleriola ipſe, inter 18
diſpoſitum atque in Elephantiaſin pronum, & Elephantiacum conſummatum. Quantum ad priorem, abeſſe jubet à ſancta Medicorum fide & probitate flagitium indicinæ. *Impietati enim proximum videri*, ait, *quem conſilio regere, fide tueri, arte ſervare debes ac potes, hunc exilii reum mendacio facere, maximi mali inſimulare, fama ſpoliare, & contemptibilem vulgo facere.* Talis ſecretim potius à Medico admoneatur, ut ſibi ſapiat, Medici dicto audiens ſit, ejuſque præceptis conſiliiſque pareat, & à Deo Opt. Max. auxilium & ſanitatem expectet. Quem vero Medicus perfecte Elephantiacum primo intuitu ex ſignis omnibus deprehenderit, eum citra jurisjurandi violationem Magiſtratui indicare non dubitabit, ſi ſuper veritate fuerit interrogatus. *Nam* inquit porro Valleriola; *ut impietatis eſt, nondum lapſum* (plane infectum) *noxæ dare: ſic certe proditæ fidei, jam inquinatum, jam Elephantiacum factum,*

non

©BIU Santé

non ab hominum cœtu removere, ne majorem privati hominis, quam Reipub. curam habuisse videri queat. Salus enim Reipub. su-
19 prema lex omnibus esse debet. Cæterum ad silentium Medico servandum respexisse etiam Virgilium autumo, quando Æn. lib. XII. Medicinam *artem mutam* appellavit, ubi de Japide Medico ita fatur:

Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.

20 Fulvius quidem Ursinus in Collation. Io. Raph. Moxius lib. I. Meth. med. morb. mul. per venæ sect. cap. XXXVII. Hieron. Mercurialis Variar. lect. lib. III. cap. XIII. Andr. Tiraquellus lib. de Nobil. cap. XXXI. num. CCCXC. Zacutus Lusitanus in Introitu ad praxin, præcepto III. atque alii, Medicinam ideo artem mutam dici putant, quod opere potius quam verbis niti debeat Medicus; quum *morbi non eloquentia*, ut loquitur Celsus, in præfat. lib. I. *sed remediis curentur*, & juxta Menandrum:

Ἰητρὸς ἀδόλεσ῀ ἰσσῦλι πάλιν νόσ῀ :
Medicus loquutor morbus ægro sit novus.

Ac proinde recte dicat Seneca Epist. LXXV. *Non quæri ab ægro Medicum eloquentem, sed sanantem: si vero ita competat, ut idem ille, qui sanare potest, compte de his quæ facienda sunt differat, boni consulendum: non tamen esse quare æger gratuletur sibi quod inciderit in Medicum etiam disertum; hoc enim tale esse, quale si peritus*
21 *gubernator etiam formosus sit.* At ego quod pace aliorum interpretum dixerim, non ineptum putaverim, si quis artem nostram, etiam hanc ob causam à Poëta mutam vocari censeat, quod taciturnum Medicum esse oporteat, & cum primis silentio ea premere, quæ ab ægris ipsi concreduntur, quæque secreta hi esse cupiunt, & aliis, aut in vulgus esse
22 nota, minus conducit. Hippocrates sane duo à futuro Medico stipulatus, jurejurando cum adigit, ut non minus ea, quæ

in com-

©BIU Santé

in communi vita, quam artem factitando, ſive viderit, ſive audierit, tacita habeat. Itaque, quod de ſervo dicebat Plautus Moſtellar. act. III. ſc. v. de ſe omnino dictum putet γνήσιος Hippocratis ſectator;

Plus oportere ſcire Medicum, quam loqui.

Concludo autem totum hunc locum elegantibus verbis Hieronymi, Epiſt. III. ad Heliodorum, quem Hippocratis exemplo admonet, hortaturque, ut ſilentio ſtudeat, & ſecreta non revelet. *Officii tui eſt*, inquit, *viſitare languentes, noſſe domos matronarum, ac liberos earum, & nobilium virorum cuſtodire ſecreta. Officii tui eſt, non ſolum oculos caſtos ſervare; ſed & linguam. Nunquam de formis mulierum diſputes: nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit. Hippocrates adjurat diſcipulos, antequam doceat, & in verba ſua jurare compellit; extorquet ſacramento ſilentium; ſermonem; inceſſum; habitum moreſque præſcribit. Quanto magis nos, quibus animarum cura commiſſa eſt, omnium Chriſtianorum domos debemus amare, tanquam proprias.* Hæc Hieronymus. D. 23

CAPUT VICESIMUM.

Ὄρκον ἔν μοι πάνδε ἐπιτελέα τιέουλι, ἐμὴ ξυγχέουλι, εἴη ἐπαύρασθαι βίου καὶ τέχνης.]

SUMMARIA.

1. *Iurisjurandi Hippocratis pars tertia.* 2. Ἐμμένειν ὅρκῳ. 3. ἐνορκεῖν, ἔνορκος. 4. *Formula finiendi juramenta.* 5. συγχέειν ὅρκον. 6. *Conturbatores.* 7. παραβαίνειν ὅρκον. 8. *Lectio in textu gemina.* 9. ἐπαύρασθαι. 10. *Votum Hippocratis duplex.* 11. *quod utrumque eſt conſequutus.* 12. *Hippocratis longævitas.* 13. *& in arte faciunda ſucceſſus.* 14. *An Medicus in artis exercitio peculiari indigeat fortuna.* 15. *Aliorum opinio.* 16. *& Aſtrologorum.* 17. *Fortuna quid?* 18. *Quæſtionis deciſio.* 19. *Vbi multum artis, ibi parum fortunæ.* 20. *Chilonis Apophthegma.* 21. *Medico non ſemper res ex*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 209 sur 248

©BIU Santé

voto ſuccedit. 22. *Ἀκεσίας ἰάσαλο.* 23. *Medicina ars ϛοχαϛικὴ.* 24. *Finis non eſt in poteſtate operantis.* 25. *Aliud officium artificis, aliud finis.* 26. *Medicum ut nonnulli fortunatum putent?* 27. *ut vere fortunatus eſſe poſſit?* 28. *Medicina Diis concedit.* 29. *Iapidis Virgiliani exemplum.* 30. *Aliorum de fortuna Medici ſententiæ.*

1 ABſolvimus & alteram nunc Hippocratici Jurisjurandi partem: reſtat ultima, quam abſolvit κατάρα, ſeu imprecatio. Ea juraturi ſibi jusjurandum ſancte ſervantibus felicia quævis, pejerantibus contraria imprecantur.
2 Quid vero ſit ἐπιτελέα ποιεῖν ὅρκον, ſupra diximus. Græci aliter id dicunt ἐμμένειν ὅρκῳ, ut Euripides Medea. Iſocrates ad
3 Demonic. in Paragr. & alibi: & una voce ὀμόρκειν; εὔορκον vero vocant, qui juramentum ſancte præſtat ſervatque,

Ἀνδρὸς δ' ὀμόρκου γένεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.
Poſteritas ſancte jurantis læta vigebit;

inquit Heſiodus ἐν ἔργοις. atque ut vult Pindarus in Olymp. Ode 11.

——— ὧδε πιμίοις
Θεῶν, οἵ τινες ἔχαιρον ὀμορκίαις
ἄδακρυν νέμον
αἰῶνα:
Apud eos quos honorant
DI, qui felicitate gaudent jurisjurandi,
illachrumabili fruuntur
ævo.

4 Formulæ, ab Hippocratica hac, jusjurandum finiendi, & juramentum ſervantibus proſpera quævis imprecandi, non abludentes, apud Auctores non uno in loco Lectori occurrent. Demoſthenes Orat. adv. Cononem: εἴ μὲν ὀμόρκω, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο. *Si recte juravero, multa mihi eveniant bona.* Et Orat. adv. Timarch. ἐπαίρομαι ὀμορκῶν μὲν ποιεῖν τ' ἀγαθὰ σὺν θεοῖς:

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 210 sur 248

©BIU Santé

Θεὸς: *recte juranti ut Dii bona multa faciant, exopto.* In Smyrnæorum & Magnetum fœdere, apud Joan. Seldenum, in Marmoribus Arondelianis: Εὐορκοῦντι μὲν μοὶ, εὖ εἴη. *Recte juranti bene sit mihi.* Polybius lib. III. Εὐορκοῦντι μὲν πρεῖν τ' ἀγαθὰ θεὸς· *sanctè juranti DI benefaciant.* In fœdere antiquo in Creta reperto, apud Gruterum, Inscription. pag. DV. Εὐορκῶσι ἢ ἁμῖν τῶς τε θεὼς ἱλέως ἦμεν, καὶ γίνεσθ πάντα ἀγαθὰ: *recte jurantibus nobis DI propitii sint, bonaque eveniant omnia.* Valens Vettius Antiochenus, Anthologiωn lib. IV. Καὶ ταῦτα μὲν διαφυλάσσουσιν, οἱ προειρημένοι θεοὶ πάντες ἵλεῳς ἔσονται, καὶ βίου εὐπαθὴς, καὶ καθ' ὑμιν λογισμῶν σωτήλεια. *Hæc servantibus DI nominati benivoli erunt, & vita commoda, ac consiliorum ex animi sententia consummatio.* Addit vero Hippocrates, μὴ ξυγχέοντι, 5
non confundenti. Hoc modo loquendi Isocrates quoque Orat. adv. Callim & Euripides Hippol. Coron. ὅρκους συγχέαι, vel συγχῦσαι; & Thucydides lib. v. συγχέαι σπονδὰς; *confundere juramenta & fœdera,* dixerunt. Hinc illa lib. Δ. Iliados, ex ipsa re nata inscriptio: Ὁρκίων σύγχυσις. Hesychius τὸ συγχέαι, explicat per συνκόψαι, συντρίψαι· quod est, *discindere, dissolvere;* item *conterere, confringere,* & quasi *annihilare,* & *irritum facere.* Eleganter autem hoc ita dicitur, & non sine translatione ab iis, qui numerorum aut calculorum rationes permiscent, confundunt, perturbant, & inanes reddunt. Qua 6
ratione & *Conturbatores,* dicuntur debitores, qui commiscent & confundunt rationes omnes & fortunas, ut ea, quæ bonis plurimis debent, non dissolvantur, nisi universis, aut ne universis quidem: quique id beneficii ab Impp. impetrare solent, ut toto quinquennio, aut velut nuper novo exemplo introduci cœpit, etiam octennio, atque ultra, à creditoribus compellari non possint. Hoc sensu loquitur Terentius Eunucho act. v. sc. II. *Conturbasti mihi rationes omnes.* Martialis lib. IX. Epigr. IV. *Conturbavit Atlas, &c.* Nisi metaphoram malis desumptam à rebus liquidis, quæ confundi & misceri solent,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 211 sur 248

©BIU Santé

idque eo magis, quod juramenta in fœderibus dari ſolebant
7 præviis libationibus. Excerpta Scaligeri τὸ συγχέειν interpretantur παραβαίνειν ὅρκον, quod eſt *tranſgredi jusjurandum*. Sed
8 videamus cætera contextus verba. Baſilenſis editio, pro βίᾳ, hic legit βίον, & pro τέχνης, τέχνῳ, caſu quarto: neutrum male. Licet enim verbum ἐπωφελὴς utplurimum cum ſecundo caſu jungatur, eſt tamen, ubi & quartum admittat, ut in hemiſtichio illo Homerico, Odyſſ. σ.

—— μή πέ τι κακὸν, ϑ μεῖζον ἐπαυρῇς·
—— *ne forte malo majore petaris.*

9 Eſt autem ἐπωφελὴς, vel ἐπαυρεθὴς; nam utrumque Græcis dicitur, idem quod *frui*, aut, ſi in contrariam partem accipiatur, *luere*, ſive *participem fieri ſeu boni, ſeu mali*. Excerpta laudata, τὸ ἐπαυρεσθαι explicant per ἀπολαῦσαι; Heſychius per ἐπιτυχεῖν, ἀπολαῦσαι: *fructum capere*, vel *commodum* ex re aliqua, aut etiam *damnum*: item *aſſequi, conſequi*. Βίος vero *vitam* hic ſignificat, non victum, aut ad victum neceſſaria, uti ſupra Hippocrates vocula hac utebatur, & nos eam explicavi-
10 mus. Igitur duo ab DIs optat Auctor, ſi juramentum ſervet; ut & felici vita, & proſpero in arte ſucceſſu utatur. Felicem vitam ſibi optat; ut diu ſuperſtes, & Reipub. civibuſque quibuſcunque ope operaque ſua prodeſſe poſſit: proſperum vero in arte ſucceſſum; tum ſui honoris, tum maxime ægrotorum cauſſa, quorum ſalutem ſibi ſupremam legem dixerat,
11 Deos poſcit. Utrumque in pietatis veræ & non fucatæ mercedem ex voto etiam fuit conſequutus, ut eam ob cauſſam non immerito *beatiſſimus* à Theodoro Priſciano appelletur, lib. IV. de ſcientia Phyſ. part. II. cap. I. Nam & vitam vixit beatam, quantum in his terris licet, & cum primis honoram, cumulate neceſſariis omnibus fruens, ſine incommodo, æta-
12 tiſque annum attigit c IV. ut vult Suidas, in voce Hippocrates, ſive ut alios velle dixi, c IX. in quo vivere deſiit, facilem exitum ſortitus, & εὐθανασίαν; qualem Divus olim Auguſtus

ſibi

©BIU Santé

ſibi optare ſolebat, & conſequutus fuit, ſi credimus Sueto-
nio, in Aug. cap. xcix. In arte vero quam proſpero ſucceſſu 13
fuerit uſus, Epidemiorum libri teſtantur, in quibus diffici-
lium morborum felices ſæpius eventus annotavit. Teſtantur
Athenienſes, quos à truculentiſſima peſte artis dexteritate
defendit. Teſtatur Perdiccas Macedonum Rex, quem ex
amore erga Phylen, Alexandri Parentis demortui pellicem,
graviter decumbentem, & ab aliis pro tabido derelictum,
ſanitati priſtinæ mira reſtituit induſtria, ut in Hipp. vita, pro-
lixius narrat Soranus. Et optime in ipſum quadrat. Nicome-
dis illud, aut Baſſi diſtichon παλίνδρομον, quod eſt Anthol.
Græcæ lib. 1. tit. εἰς ἰατρούς.

Ἱπποκράτης φάος ὠφέλησε μερόπων, ἔσωσε λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ὠλιγάνις εἰν Ἀΐδῃ.

Lux hominum Hippocrates, populos tutatus, in orco
Fecit, ut umbrarum copia rara foret.

Quæri autem poſſet, quum εὐρκίας ſuæ præmium depoſcat 14
Hippocrates proſperum in arte ſucceſſum, an Medicus etiam
fortuna peculiari in arte factitanda opus habeat? Et ſunt pro- 15
fecto, qui in illa plurimum hic ſitum arbitrentur, nec cum
Plauti Pſeudolo, act. 11. ſc. 111. adſerere dubitent,

Centum doctum hominum conſilia ſolam devincere
Fortunam, ac proinde, ut quiſque ea utitur,
Ita præcellere, atque exinde ſapere eum.

Sunt qui fortunam ab arte abeſſe non oportere, contentioſe
adfirmant, & Agathonis illud huc detorquent, quod eſt apud
Ariſtotelem, lib. vi. Ethic. cap. iv.

Τέχνη τύχῳ ἔστεξε, καὶ τύχη τέχνῳ.

Fortuna ut artem, ita rurſus ars fortunam amat.

Nec deſunt officio ſuo Aſtrologi, qui magnam vim in aſtris 16
poſitam, multumque referre credunt, quæ

Sidera te excipiant modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 213 sur 248

©BIU Santé

ut cum Juvenali loquar, Sat. VII. Itaque bonum felicemque & fortunatum Medicum ajunt futurum, *in cujus primo ortu Mars & Venus, aut Venus & Mercurius corporaliter*, ut loquuntur, *aut benivolo aſpectu fuerint conjuncti*: aut *cui Mars & Venus affulſerint in ſexta cæli domo*, ſeu congreſſus horum in Arietem incidat, ut ex Ptolomæo, & veteribus, notant Manfredus in Centiloquio, verbo III. Franc. Junctinus tractat. de Judiciis Nativit. doctiſſimus Caſp. Peucerus, lib. de Divinat. cap. de Aſtrologia, Henr. Rantzovius Tractat. Aſtrolog.
17 part. II. cap. III. pluresque alii. Verum ſciendum eſt, fortunam, ſi proprie vocabulo uti velimus, nihil aliud eſſe, quam *cauſſam per accidens eorum, quæ in iis, quæ per electionem fiunt, finis alicujus gratia, neque ſemper, neque ut plurimum, ſine ordine, ac ut res forte ceciderit accidunt*; ut definit Ariſtoteles lib. II. Phyſ. cap. V. text. LI. & LII: & Ethic. ad Eudem. lib. II. cap. XIV. Ea ratione, qui, dum terram fodit, theſaurum invenit, fortuito ipſum inveniſſe dicitur. Recte itaque Philemon Comicus, apud Clementem Alexandrinum, Strom. lib. V.

Οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἀδεμία τύχη Θεὸς;
Οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ παυπάμαλον, ὁ γίγνε᾽ ,
Ὡ᾽ς ἔτυχ᾽ ἑκάστῳ, προσαγορδυε᾽ τύχη.
Fortuna nulla eſt ullibi nobis Deus?
Non eſt: ſed unicuique ſi quid obvenit,
Caſuque fit, fortuna nobis dicitur.

18 Atque hoc poſito, rem totam non noſtris, ſed elegantibus Hippocratis verbis, quæ lib. de loc. in hom. habet, atque unice huc faciunt, decidemus: *Qui exactam*, inquit, *artis medicæ cognitionem habet, is minimum ex fortuna pendet; ſed & citra fortunam & cum fortuna recte operatur. Neque enim ars ipſa, quæ certa eſt, aut præceptiones ex quibus conſtat, fortuna opus habent: neque medicamenta, quorum quidem vis & facultas comperta eſt, fortunam morantur, quo minus agant id, quod agere nata ſunt, aut cui*

©BIU Santé

cui fini deſtinantur. Si enim à ſola fortuna iſtorum actio dependet, mirum, ſi non aliæ etiam res, præter medicamenta, cum fortuna adhibitæ, ſanitatem non minus procurent. Et paucis interjectis. *Illi enim ſoli, vel potiuntur ſucceſſu, vel fruſtrantur, qui bene vel male agere noverunt. Proſpere enim ſuccedere, eſt recte agere; recte autem agunt qui ſciunt. Succeſſu autem fruſtrari, eſt quando quis, quod minus novit, non recte facit. Ignaro etenim quid proſpere ſuccedat? Quin etſi quid forte ſuccedat, non magni id erit æſtimandum. Qui namque non recte agit, ei ex animi ſententia ſuccedere nihil poteſt; quum reliqua, quæ ſunt conſentanea, non faciat.* Hactenus ille. Atque hinc quidem natum puto vulgatum 19
illud veriverbium, quo *parum fortunæ* eſſe dicitur, *ubi multum* ſit *artis*; ſive ut Ariſtoteles habet, Ethic. ad Eudem. lib. II. cap. IIX. *Vbi plurimum eſt mentis & rationis, ibi minimum eſt fortunæ: at ubi plurimum fortunæ, ibi minimum eſt mentis & rationis.* Et lib. I. Metaph. cap. I. *Experientia artem efficit, imperitia caſum:* Immo ante Ariſtotelem Plato in Gorgia, in princ. *Peritia,* inquit, *efficit, ut vita noſtra per artem incedat: imperitia ut per fortunam temere vagetur.* Huc reſpicit Juvenalis Sat. X.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: nos te,
Nos facimus fortuna Deam, cæloque locamus.

Lepide vero Chilon, unus ex VII. Græciæ ſapientibus, quæ- 20
renti quid eſſet *fortuna?* reſpondit; *imperitus Medicus*: quod imperiti, non docti, fortuna opus habeant, fortuitoque ſanentur, qui illis ſeſe committunt curandos. Hoc innuit Hippocrates lib. de Arte, quando ait: *Exiſtimo morbis, qui male curantur, ut plurimum infortunium accedere: qui bene, eos bonam fortunam nanciſci.* At illud interim hic notandum, ſæpius qui- 21
dem, dum è Medicis, etiam doctiſſimus & experientiſſimus quiſque, omnia ex artis præſcripto agit, nihilque prætermittit omnino, quod ad rem faciat, ægrum nihilominus ſatis concedere. Non quod fortuna hic Medico minus faverit,

aut

©BIU Santé

aut adverſata fuerit; ſed quod fatali neceſſitate eo devenerit morbus, ut vi medicamentorum omnium, atque omni artificis ſtudio ac cura, infringi non potuerit. *Adeo in Medicina*, inquit Corn. Celſus, lib. VII. cap. XII. *etiam ubi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod ſequi con-*
22 *venit*. Itaque nec caſu hoc Medicus infortunatus dici debet, nec vulgatum illud in ipſum torqueri dicterium, quod eſt apud Suidam, Ἀκεσίας ἰάσατο; *Aceſias curavit*: quo in imperitos recte utaris, minime in eos, qui dum omnia dextre agunt, fine tamen ſuo non potiuntur. Τ' γιέας γὰρ πιέειν ἅπαντας τὺς ἀδενέοντας ἀδύνατον, *ægros omnes ſanos facere impoſſibile*, dicebat lib. I. Prognoſt. Hippocrates: & *Medici, ſi quid tale ipſis liceret, Deorum potentiam anteirent*, inquit Aretæus morb. Chron. lib. VII. cap. V. Fatalis enim neceſſitas omnes tan-
23 dem tangit, & *calcanda ſemel via lethi*. Unde optime Medicina in earum diſciplinarum cenſum refertur, quas, ex Platonis Philebo, Galenus lib. ad Thraſyb. cap. IV. & Auctor Introductorii, στοχαστικὰς, ſive *conjecturales* vocant: quæ fine ſuo non ſemper potiuntur, ut eſt Oratoria, Logica, Navigatoria. Juriſprudentia, Militaris, ſimileſque aliæ, utcunque etiam harum artifices officio ſuo ſatisfaciant, omniaque ex artium ſi-
24 ve diſciplinarum præſcripto peragant. Officio enim ſuo ſatis facere poteſt artifex bonus, licet finem artis non ſemper conſequatur: Illud enim præſtare in artificis poſitum eſt arbitrio; hoc vero minime eſt in poteſtate operantis, quod quidem putavit Quinctilianus lib. II. Inſtit. Orat. cap. XII. & XIV. ex quo poſtmodum errorem eundem hauſit P. Ramus, & qui hunc ſequuntur, minorum aliquot gentium ſcriptores.
25 Propterea recte Cicero, lib. I. de invent. inter *finem artificis*, & ejuſdem *officium* diſtinguit; & *finem Oratoris* eſſe ait, *perſuadere; officium, bene dicere*. Et parili ſenſu jam ante Ariſtoteles, lib. I. Rhetor. cap. I. dixerat: *Perſuadere non eſt officium Rhetoricæ, ſed videre quid in ſingulis probabile, aut ad perſuadendum*

©SIU Santé

dendum idoneum, ſicut & in aliis artibus. Neque enim, inquit porro Philoſophus, *Medicinæ eſt ſanare, ſed laborare in ſanitate reſtituenda. Licet enim & illos, qui non poſſunt recuperare ſanitatem, bene curare, &c.* Unde Seneca lib. VII. de benef. cap. XIII. *Quædam ejus ſunt conditionis, ut effectum præſtare debeant: quibuſdam pro effectu eſt, omnia attentaſſe, ut proficerent. Si omnia fecit, ut ſanaret, peregit Medicus partes ſuas: etiam damnato reo, Oratori conſtat eloquentiæ officium, ſi omni arte uſus ſit.* Quæ brevius iterum Ariſtoteles lib. I. Topic. cap. II. *Nec Rhetor*, inquit, *omnibus modis perſuadere ſolet, nec Medicus ſanare; ſed ſi nihil eorum, quæ adhiberi poſſunt, omiſerint, recte artem ſuam ſcire dicemus.* Vide eam in rem alia etiam apud Senecam, Epiſt. LXXXV. quæ loco huic ſint illuſtrando. Si quis tamen 26
fortunatum eſſe Medicum contendat, qui ad minus periculoſe adfectos, aut in morbi declinatione ad ægrotum vocetur, aut medicamentum exhibeat fini uni deſtinatum, geminique ad exhibitionem ſequantur effectus. Ut qui febricitanti medicamentum ex amarioribus ad bilem ſubducendam exhibeat, & ſimul febrem eo jugulet, ac vermes expellat, quos adeſſe non ſuſpicabatur. Si quis contra infortunatum eſſe aiat, qui ſæpius ad lethaliter decumbentes vocetur, aut medicamentum quidem exhibeat ex artis præſcripto, ac debito tempore; forte tamen, non vi medicamenti, ſed alia ex cauſſa, vel vena rumpatur, vel abſceſſus latens, atque inde res ægri peſſum eant. His ſane adverſari nolim, quum talia caſu plane fiant, nec uni ſoli, aut ſemper, ſed nunc huic, nunc illi, obvenire queant, vere autem felix, aut fortunatus, aut infortunatus ex iis nemo dicatur. Si quis vero proſperum o- 27
mnem in medendo ſucceſſum à Deo Opt. Max. cauſſaque omnium prima dependere, atque hoc modo fortuna opus eſſe ſtatuerit; is vocabuli quidem fortunæ genuino ſignificatu abuſus fuerit, nihil vero falſi, ſed quod fas piumque eſt, dixerit. *A primo* enim *illo omnis medela, is Medicum creavit; is*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 217 sur 248

©BIU Santé

Medicinam ex terra produxit, ut eſt apud Siracidem, Eccleſia-
28 ſtici cap. xxxiix. verſ. ii. & iv. Neque aliter, quanquam Ethnicus, hac in re ſenſit Hippocrates, quando lib. de Elegantia ait: *Scientia profecto de DIs penitiſſime Medicinæ animo implexa eſt. Cumque in aliis adfectibus & ſymptomaſin Medicina erga Deos valde reverenter ſe habere comperitur: tum vero Medici DIs locum dant, numenque omnia regens, in Medicina minime ſuperfluum & otioſum eſſe animadvertunt, & in iis morbis, quos ipſimet aggrediuntur, & in iis, quos per ſe abſq; ſua opera ſuperari vident. Quotquot enim Medicina vincit, Deorum ope vincit. Nam & Medicinæ viaſecundum ſapientiam, eſt Deorum munus: & remedio-*
29 *rum efficacia ab iiſdem pendet*. Neq; aliter ſe gerit *Iapis Virgilianus*, vivum boni Medici exemplar; qui lib. Æn. xii. quum Æneæ vulnerato operam ſuam commodaret, atque omnia, quæ fieri par erat, ex artis præſcripto adminiſtraret, prudentique diligentia in gravi caſu maxime trepidaret, libere fatetur, ſe omni opera ſua vix quidquam proficere. Vulnere vero conſolidato, atque opere perfecto, Numini ſupremo

Lætus, lubens, laudes agit, & grates gratiaſque habet,

ut Comicus loquitur; elegantique & pio epiphonemate curationem totam divinæ poteſtati acceptam defert:

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt, neque te, AEnea, mea dextera ſervat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

Quod tanto plus nobis, qui Chriſtiani audimus, faciendum fuerit, quanto plus Ethnicis vera pietate nos præſtare con-
30 veniebat. Si quis plura de prædicta quæſtione, quidque alii ſtatuant, ſcire haveat, adire poterit CL. Dan. Sennertum Inſtit. Medic. lib. v. part. iii. ſect. iii. cap. ult. CL. Joan. Freitagium Noct. Medicar. cap. iix. ix. x. Brun. Seidelium lib. de morb. incurabilib. Joan. Matthæum quæſt. Medic. iii. Roder. à Caſtro, Medico Polit. lib. ii. cap. xiv. Mich. Doringium de Medicina & Med. lib. ii. part. iii. ſect.

BIU Santé

sect. III. cap. II. III. IV. & V. Guil. Ballonium Consil. Medic. lib. I. cons. CVI. Raym. Mindererum Threnod. Med. cap. IV. Zacutum Lusitanum, Histor. Princip. Medic. lib. VI. Hist. I. Quæst. I. &c.

CAPUT VICESIMUM PRIMUM.

Δοξαζομένω παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον.]

SUMMARIA.

1. Δοξαζομένοι παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις. 2. εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον, *Græcismus.* 3. *Hippocrates gloriæ amans.* 4. *Gloria virtutis præmium.* 5. *Hippocrates glorioſus.* 6. *Athenienſium SC. de Hippocrate.* 7. *Prytaneium Athenis.* 8. *Artaxerxes Rex Hippocratem accerſit.* 9. *Coorum reſponſum maſculum pro Hippocrate.* 10. *Abderitanorum Hippocrati habitus honor.* 11. *Hippocratis encomia.* 12. *Cos inſula dicta,* θεὸς φέρειν. 13. *Paracelſici Hippocratis auctoritate ſe tueri ſatagunt.* 14. *Sepulchro Hippocratis inſidentes apes, mel medicatum ſtipant.* 15. *Apes inſidentes ori Platonis & Steſichori.* 16. *Epigraphe imaginis Hippocratis, Vrbini.* 17. *Inſcriptio Tumuli Hippocratis.*

Δοξαζομένους παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ex Marciano in perie- 1
geſi vocaveris,

—— ὧν ἡ δόξα κὴ πεθνηκότων
Παρὰ πᾶσιν ἡμῖν ζῶσι καὶ πάντας μᾶλλ.

Quorum, licet demortuorum gloria
Vbique gentium perennat perpetim.

Quod vero addit Hippocrates, εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον, id loquutione 2
Græcis familiari protulit, qua Iſocrates etiam dixit, καὶ πάντας ἀεὶ τοὺς χρόνους. His adfinia ſunt, quæ alias Græcis in uſu, ἐν τοῖς ἐπέκεινα χρόνοις, ἐν τῷ ἔμπροσθεν, ἢ πρόσθεν χρόνῳ, *præterito tempore*; ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις, *ſuperiori tempore*; ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις, *priori tempore*: Multa enim hujuſmodi Iſocratem & Demoſthenē perluſtranti occurrent, ubi articulus adverbio additus

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 219 sur 248

©BIU Santé

3 vim habeat adjectivi. Præter vero prosperitatem in facienda arte, & felicitatem in vita, quas sibi juramentum sancte servanti optat Hippocrates, recte gloriam quoque addit & famam nominis sempiternam, atque ut perpetuo apud omnes bene audiat. Ut enim Pindarus ait, Pyth. Ode 1.

Τὸ παθεῖν εὖ, πρῶτον ἀέθλων·
Εὖ δ' ἀκέειν δόλιον μοι-
ρ'· ἀμφιτέροις δ' ἀνὴρ
ὃς ἂν ἐγκύρσῃ, & ἕλῃ,
στέφανον ὕψιστον δέδεκται.
Fortuna bene frui, primum est inter præmia:
Bene audire autem secunda felici-
tas, in utrumque autem vir
qui inciderit, & obtinuerit,
coronam supremam nactus est.

Itaque non ambitione, aut φιλοδοξίᾳ ductus, hæc sibi optavit Hippocrates, aut animi quadam elatione. Galeni enim testimonio, omnia ista sprevit abs se procul, *non honoris, ut ait, aut inanis gloriæ, sed veritatis amator*, lib. de atra bile, cap. VII. ut qui eam ob caussam domi privatim agere maluerit, quam apud Persarum Regem Principis loco censeri, ut mox dicemus. Verum, ut virtutis suæ laborumque testem haberet & mercedem,

Arripuit traxitque Virum fax mentis honestæ
Gloria, & quæ sola animum mentemque perurit,

4 ut Silius Italicus loquitur lib. I. & VI. *Gloria* enim, inquit Cicero, lib. III. Tuscul. quæst. *est solida quædam res, & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat, tanquam imago. Quæ quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda.*

Ἀνέρι γὰρ πινυτῷ, & ἀφρονι, πολὺν ἄμεινον
Κῦδος καὶ χρυσοῦ, & ἔδεος, ἠδὲ & ἄλλων

©BIU Santé

Ἐσθλῶν, ὁπόσσα ἐστὶ, καὶ ἔσται ἀνθρώποισιν.
Namque cato gnaroque viro præſtantior auro,
Et fundis, aliiſque bonis, eſt gloria, quotquot
Vel ſunt vel poterunt nobis mortalibus eſſe.

ut verſus habent Quinti Calabri lib. XIV. Ac propterea, ut iterum ait Cicero, lib. III. de Finib. *ingenui hominis eſt, & liberaliter educati, conſectari juſtam gloriam, quæ eſt veræ virtutis fructus honeſtiſſimus.* Et, teſte eodem, lib. I. de Offic. *vix invenitur qui laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. Hac vero detracta,* ut iterum Orat. pro Archia inquit, *quid eſt, quod in tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos laboribus exerceamus?* Itaque homini virtuoſo ἥδιστον ἄκουσμα εἶναι ἔπαινον, monebat Xenophon in Hierone; *nullamque humanam voluptatem numini propius accedere, quam ea ſit, quæ ex honoribus percipiatur, delectatio.* Quam ob cauſſam etiam Lucillius Satyr. lib. XXIX. unumquemque jubet,

Hunc laborem ſumat, laudem ſibi qui ac fructus ferat.

Quemadmodum autem ſanctiſſime jusjurandum ſuum Hippocrates ſervavit: ita idem voto etiam ſuo, neque hac in parte excidit, ſed ſummam, ſi quis unquam, jure merito apud omnes adeptus gloriam, vivus videnſque non Medicos ſibi honores haberi gaviſus fuit, & κατ' σύμπασαν ἑλλάδα θεραπόντων ἐθαυμάσθη, ut de ipſo ait Soranus in vita. Eademque gloria etiamnum hodie poſt funera, & bis mille ferme annorum decurſus, citra invidiam fruitur: εὐκλεὴς, ut alia in re ait Philo, in explic. Gen. τὴ μὴ κολακείᾳ νοθεύμενον, ἀλλὰ βεβαιούμενον ἀληθείᾳ καρπούμενον ἔπαινον; *clarus nominis, laude non adulterata per blanditias, ſed ſtabilita per veritatem fruens.* Atque ut ex plurimis pauca ſaltim delibemus, cum S. P. Q. Athenienſis honoribus fere divinis atque ut numen quoddam tutelare ſunt proſequuti, ut partim Soranus in Hipp. vita, & Pætus in Epiſt. ad Artaxerxem Regem, teſtes ſunt, partim Plinius attingit

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 221 sur 248

©BIU Santé

lib. VII. cap. XXXVII. plenius vero ex ipso Athenienſium SC^to liquet, quod eam ob cauſſam integrum adſcribemus.

6 S. P. Q. ATHENIENSIS

ſic cenſuit.

Quandoque Hippocrates Cous, Medicus ab AEſculapio oriundus, ſummam benivolentiam in ſervandis Græcis oſtendit, quum peſte à Barbaris in Græciam pervadente, dimiſſis per loca ſuis diſcipulis, medelas indicavit, quibus qui uterentur, inſtantem peſtem ſecure effugere poſſent, & quonam modo Medicina Græcis tradita eos laborantes tuto ſervaret. Quin & exacte à ſe ſcripta de re medica in publicum emiſit, quum multos cuperet eſſe Medicos, qui ſervare poſſent. Perſarum etiam Rege ipſum ad honores ſuis optimatibus æquales, & munera, quæ ipſe Hippocrates optaret, accerſente, Barbari policitationes, quod hoſtis & communis Græcorum inimicus eſſet, contemſit. Vt igitur conſtet, Populum Athenienſem Græcis ſemper utiliter conſuluiſſe, utque dignam pro meritis gratiam referat, decrevit Populus, ut is magnis myſteriis, non ſecus ac Hercules Iovis filius, publice initiaretur, & corona aurea mille aureorum coronaretur, coronam ipſam Quinquatribus magnis, in gymnico certamine, præcone proclamante: & omnibus Coorum liberis liceat, non ſecus ac Athenienſium Athenis pubertatem agere, quod eorum patria ejuſmodi virum procrearit. Hippocrates vero, ut civitatis jure, & victu in Prytaneio, toto vitæ tempore donetur.

7 Erat autem *Prytaneium*, ut hoc obiter notem, locus Athenis, in quo Iudices Reipub. jus dicebant, atque οἱ Δικαστήριοι. ut Demoſthenes vocat, Orat. de falſa legat. ſive ii, qui de Rep. optime meriti fuerant, alebantur: quem honorem omnium maximum fuiſſe ex Cicerone lib. de Oratore colli-

8 gere licet. De vocatione vero Hippocratis ad Perſarum Regem, cujus mentio in Athenienſium SC^to, res ita habet. Artaxerxes Magnus, Perſarum Rex, ad Hyſtanidem Helleſponti Præfectum ſcripſerat, *Hippocratis Coi AEſculapio oriundi gloriam ad ſe perveniſſe; ſumeret igitur auri quantum is voluerit, ac qui-*

©BIU Santé

ac quibus indiguerit effuſe, atque ipſum ad ſe mitteret. Cum optimatibus enim Perſarum in pari honore futurum. De Regis hac voluntate, quum certiorem Hippocratem reddidiſſet Hyſtanes, reſcripſit huic ille; *ſe victu, veſtitu, domo, omnique re ad vitam neceſſaria cumulate frui, Perſarumque opibus non indigere, nec Barbaros, qui Græcorum ſint hoſtes, à morbis liberare velle.* Hoc reſponſum, licet ægre ferret Rex, & Coïs per litteras minaretur, ſe urbem & inſulam ipſam everſurum, & pelagus effecturum, ut ſciri non poſſet, urbs an inſula eo loci ſita fuiſſet, niſi confeſtim Hippocrates ſibi traderetur. Reſponderunt 9
tamen Coi maſcule, *ſe minime id facturos, etiam ſi univerſis peſſimo letho eſſet moriendum; Deos vero ſui rationem habituros.* Extant etiamnum hodie, tum Regis, tum Hyſtanis, tum Hippocratis Epiſtolæ, lectu quidem jucundæ, ſed quas ſingulas hic deſcribere nimis longum foret. Eidem porro Hippo- 10
crati, Abderam vocato ad Democritum, Philoſophum id temporis ſummum, animi morbo laborantem, ut vulgo putabatur, S. P. Q. Abderitanus extra portas obviam occeſſit, & *Patrem Patriæ* ſalutavit. Eidem Coos quotannis, die XXVI. menſis Agriani, ad ſua uſq; tempora parentaſſe, auctor eſt Soranus in Hippocr. vita. Idem vere eſt Homeri Medicus 11
ille, Iliad. λ. πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων; & Odyſſ. δ. θητὶ μάλ' ὧεὶ πάντων. Pætus in Epiſt. ad Artax. vocat *divina natura ingenioque præditum*, & ὑγείας πατέρα, σωτῆρα, ἀκεσώδυνον, καὶ ἀπλῶς ἡγεμόνα τῆς θεοπεσίου θητικῆς. *ſanitatis parentem, ſervatorem, dolorum ſopitorem, & ſummatim dicendo divinæ ſcientiæ manuductorem,* Corn. Celſus in procem. lib. I. *virum arte & facundia inſignem,* lib. VI. cap. I. *omnis Medicinæ parentem,* & lib. IIX. cap. IV. *profeſſorem magnum,* Theodorus Priſcianus lib. IV. de ſcientia Phyſ. part. II. cap. I. *Medicorum primarium,* Paullus IC^tus L. XII. D. de ſtatu hom. *virum doctiſſimum,* Seneca lib. de brevit. vitæ. cap. I. & Epiſt. XCV. *Medicorum maximum, & Medicinæ ſcientiæ conditorem, & naturæ*

peri-

©BIU Santé

peritiſſimum, Plinius lib. VII. cap. LI. *Medicinæ Principem*, Galenus lib. quod an. mores ſeq. temper. corp. cap. VII. & lib. I. de facult. nat. cap. XIII. *Medicorum & Philoſophorum omnium primum*; lib. II. de temperam. cap. II. & lib. de Theriaca ad Piſon. cap. XI. *virum admirabilem*, lib. I. de ſem. cap. IV *ſpeculationis ſubtilitate & verborum, ſuavitate præſtantem*. Trallianus vocat Ἥπιον lib. VI. cap. ult. Largius Deſignatianus *Medicinæ auctorem peritiſſimum*, Epiſt. ad filios. Garyopontus lib. V. cap. XXX. *ſapientiſſimum*, & lib VI. cap. XI. *omnium peritiſſimum*, D. Auguſtinus *Medicum nobiliſſimum*, lib. V. de Civit. Dei cap. II. Cenſorinus de die natali. cap. VI. *naturæ ſcrutatorem egregium*, Theoph. Protoſpaltiarius lib. V. de fabrica hum. corp. cap. XIX. *Medicinæ Prometheum*, Suidas, in voce Ἱπποκρ. ἀστέρα καὶ φάος καὶ βιωφελεστάτης ἰατρικῆς, *ſidus ac lumen Medicinæ utiliſſimæ*, Galenus lib. II. de nat. fac. cap. IX. *in rerum naturæ ſpeculatione nullo inferiorem*, lib. III. Meth. med. cap. II. & lib. I. de nat. facult. *nec falſi quidquam, nec quod fieri non poſſit, præcipientem*, lib. I. de uſu part. cap. IIX. *nihil falſi ſcribentem*, Oribaſius *in omnibus veracem*, Comm. in Aphor. Hipp. *tam fallere, quam falſi neſcium, & experimenti certum*, Macrobius in Somn. Scip. lib. I. cap. VI. *AEſculapii ſucceſſorem*, Plato in Protagora. *maximum Medicinæ auctorem*, Macer. lib. de herb. virtut. cap. XIII. *cujus dogmata recta ſint & vera*, Galenus lib. I. de fac. nat. cap. XIII. *cujus ſententiæ Dei vocibus aquiparentur*, lib. I. de uſu part. cap. IIX. *nec humano ore putentur prolatæ, ſed humanum ingenium excedant*, Suidas in voce Ἱπποκρ. *cujus de natura rationum interpres ſit Ariſtoteles*, Galenus lib. I. Meth. med. cap. II. *qui omnium poſteriorum judicio AEſculapii gloriam ſit indeptus*, lib. de ſubfig. Empirica. cap. XIII. *primus præcepta medendi clariſsime condiderit*, Plinius lib. XXVI. cap. II. *primus quæ ad artis officia pertinent prodiderit*, Galenus lib. de atra bile. cap. I. *primus perfectam apud Græcos Medicinam in lucem protulerit*, Auctor. Introductor.

©BIU Santé

troductor cap. I. *eandemq; ex parvis initiis in magnam artem provexerit*, Pætus Epiſt. ad Artaxerx. *primus recta via inſtiterit*, Galenus lib. II. Meth. med. cap. VI. *& firmis certiſque uſus fuerit demonſtrationibus*, lib. quod an. mores ſeq. temp. corp. cap. IX. *omnium in Medicina bonorum, optimarumque diſciplinarum dux nobis & auctor*, lib. de præcogn. ad Poſthum. cap. I. lib. III. de Criſib. cap. XI. lib. I. de curat. ad Glauc. cap. I. lib. de venæ ſect. adv. Eraſiſt. cap. I. *vir honeſtus bonuſque, non gloriæ aut honoris, ſed unius veritatis amator*, lib. de atra bile cap. VII. *cujus diligentiam omnes Medicos, non gloriæ aut lucri ſtudioſos, imitari oporteat*, lib. VI. Epid. comm. II. text. XXIV. *Medicorum omnium* A *&* Ω, *cujus monumentis, ſanctis præcipue inſudamus*, Theophilus in præf. lib. de urinis. Cos demum ipſa, urbs & Inſula, quod Hippocratem luci dederit, cæteroſque Aſclepiadas, & Ptolomæum Philadelphum Ægypti Regem, (qui, æterna omnes memoria digni, cœlum veluti virtute ſua ſibi aperuerunt, ut priſci loquebantur) à Damoxeno Comico apud Athenæum lib. I. dicta eſt Θεὸς φέρειν. De recentiorum encomiis, quæ in divinum Senem infinita exſtant, ὅση κόνις, nihil dicam. Etenim μᾶλλον, ut de Marco Antonino dicebat Suidas, αὐτὸν ἐκπαλήσεσθαι σιωπῇ, ἢ ἐπαινεῖν ῥᾴδιον· ἀδένος λόγος τὸ ἔργον ἀνδρὸς ἀρετῆς ἐξισοῦσθαι. *Facilius multo eſt, tacite ipſum admirari, quam laudare: quod oratio nulla viri virtutibus exæquari poſſit.* Nec enim vitio verti cuiquam poteſt, ſi minus digne laudet, quem omni laude majorem univerſus orbis ſuſpicit & venera ur. Hoc addo; Paracelſi ſequaces, licet qua principia artis, & medendi methodum, à vera veterique & Hippocratica Medicina divortium ac ſeceſſionem fecerint; tamen, quum tantam viri auctoritatem, tot ſeculorum adſenſu ſtabilitam, videant, ne cauſſa ob dogmatis novitatem cadant, hoc unum agere, ut Hippocratis nomine ſe ſuaque tueri videantur, quæq; ſomniant deliramenta, eidem minime ignota, aut etiam ad-

 ſerta,

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 225 sur 248

©BIU Santé

ſerta, collectis hinc inde, & perverſim explicatis ſententiolis, imperitioribus perſuadeant. Hæc nempe vis eſt veritatis;
14 hæc Adraſteias pœna. Id vero miraculi inſtar habet, quod de tumulo Hippocratis Soranus in Hipp. vita prodidit. *Sepulchro ejus*, inquit, *diu poſt mortem apes inſederunt mellificantes, quo melle infantium oris ulcuſculis juxta tumulum illito, nutrices ea perſanabant.* Ac ſi natura ex ipſo ſepulchro quaſi clamaret, per Hippocratem hominibus Deum veram Medicinam
15 monſtraſſe. Quod nemo minus miretur, quam quod de Platone & Pindaro Ælianus, Hiſt. Var. lib. XII. cap. XLV. de Virgilio Focas Grammaticus, in Virg. vita. de Steſichoro poëta Plinius, lib. x. cap. XXIX. & Anonymus Anthol. Græc. lib. v. narrant, ipſis in lucem editis examen apum in os conſediſſe, bombiſque ſuis perſtrepuiſſe, aut luſciniam in infantis ore ceciniſſe, & eloquentiam futuram, & linguæ facun-
16 diam ſuavitatemque jam tum præſagiiſſe. Concludo tamen hæc tandem, & Epigraphen ſubjungo, quæ Urbini in aula, quam Fredericus Dux præſtantium Virorum imaginibus exornavit, Hippocratis imagini addita hodie legitur:

HIPPOCRATI COO.
OB. SALUBRITATEM. HUMANO. GENERI. DATAM. BREVIBUSQVE. DEMONSTRATAM. COMPREHENSIONIBUS. BONA. CORPORIS. VALITUDO. DICAT.

17 Cui Tumuli addo inſcriptionem, quæ extat Anthol. Græcæ lib. III. tit. εἰς ἰατρούς.

Θέσσαλος Ἱπποκράτης, Κῶος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
Φοίβου δὸς ῥίζης ἀθανάτου μεγαλῶς.
Πλεῖστα τερπάμενα νόσων ἤσους ἐπόλοις ὑγιείης·
Δόξαν ἐλὼν πολλὼ, ἀ τύχη, ἀλλὰ πόνῳ.

Theſſa-

©BIU Santé

Theſſalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,
Phœbi immortalis germine progenitus.
Crebra trophæa tulit morborum armis Hygieiæ;
Laudem aptus nulla ſorte, ſed arte ſuam.

CAPUT VICESIMUM SECUNDUM.

Παραβαίνουλ ὁ ὅπορκῆνλ τ' ανατία πιστέων.]

SUMMARIA.

1. παραβαίνειν ὅρκον. 2. *aut* ἐκλείπειν. 3. ὅπορκεῖν. 4. *Ius pejeratum.* 5. ὅπορκον ὀμνῦναι. 6. ψεύδορκεῖν, *differt ab* ὅπορκεῖν. 7. *ut mentiri, à mendacium dicere.* 8. *perjurium quid?* 9. *à mendacio facilis deſcenſus ad perjurium.* 10. *Medico aliquando mentiri licet.* 11. *Palladius Sophiſta notatus.* 12. *In Medicis humanitas laudata.* 13. *Callianactis Medici auſteritas.* 14. *Medicus mendacium licitum perjurio non confirmet.* 15. *Medico ægros decipere licet.* 16. ἀρὰ *in juramentis.* 17. *earum formulæ & exempla.* 18. *Perjurium, ſcelus graviſſimum.* 19. *& omnino puniendum.* 20. *Per genium Principis jurantis pœna.* 21. *In Deum perjuris nulla de jure civili definita pœna.* 22. *Cenſores tamen apud Romanos de perjurio cognoſcebant.* 23. *Et Pontifex Maximus.* 24. *Perjuros qui capite plectebant?* 25. *& quare?* 26. *ratio alia.* 27. *Canones perjurium æquiparant homicidio.* 28. *& perjuros infames pronunciant.* 29. *quod & Carolus V. facit.* 30. *& digitos præcidi jubet.* 31. *ut Indi olim ſolebant.* 32. *Deorum gentilium pejerantium pœna.* 33. *eam cur finxerit vetuſtas?* 34. *Hippocratis imprecatio in pejerantes.* 35. *Admonitio ad artis initiatos.* 36. *quos citra juramentum ſatius erat τὰ ὅρκια præcepta ſervare.* 37. *quod morum probitas potior ſit juramento.* 38. *Operis Concluſio.*

ΠΑραβαίνειν ὅρκον, eſt *tranſgredi*, ſeu *violare jusjurandum.* 1
Utitur eadem phraſi Ælianus, Hiſtor. Var. lib. XIII. cap. 11. Demoſthenes Orat. adv. Timocrat. Thucydides lib. II. atque alii. Euripides Supplic. & Iphigen. in Taur. 2
dixit ὅρκον ἐκλείπειν. At ὅπορκεῖν, eſt *pejerare* Latinis, & ὅπορκ- 3
ον ſeu ὅπορκία, *perjurium.* Horatio lib. II. Carm. Ode IIX. 4
jus pejeratum, & Ode XVII. *ſacramentum perfidum,* Plauto

 Pſeud.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 227 sur 248

©BIU Santé

5 Pſeud. act. I. ſc. II. *jusiurandum malum*. Diciturque Πῖορκον ὀμνῦναι, quod Latine eſſet, *perjurium iurare*, Homero Iliad τ. Ariſtophani in Ranis. Heſiodo in Theog. plurimiſque aliis, eodem pleonaſmo, quo ὅρκον ὀμνῦναι dici ab initio docuimus.

6 Cum τῷ Πιορκεῖν, ſunt qui idem eſſe putent, quod alias Græci dicunt ψεύδορκεῖν. Recte tamen jam olim Chryſippus apud Stobæum ſerm. de perjurio, inter ea diſtinxit, ut Nigi-

7 dius Figulus inter *mentiri* & *mendacium dicere*, apud Agellium lib. XI. cap. XI. Qui enim jurat, duo præſtare debet; primum, ut verba animo congruant, quod ἀληθορκεῖν dicebat Chryſippus: alterum, ut factum congruat verbis, quod idem appellat ἔυορκεῖν. Qui in illo peccat, ψεύδορκεῖν, qui in hoc, Πιορκεῖν Chryſippo dicitur. *Qui* vero *mentitur*, ait Agellius, *non fallitur, ſed alium fallere conatur: at qui mendacium dicit, ipſe fallitur.* De priori Cicero, lib. III. de Offic. *Non falſum jurare*, inquit, *peierare eſt: ſed quod ex animi ſententia iuraveris, ſicut concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt.* Quemadmodum igitur, ut porro dicebat Figulus, *vir bonus præſtare debet, ne mentiatur, vir prudens ne mendacium dicat*: ita viciſſim, *vir bonus operam dabit ne peieret, vir prudens ne falſum juret.* Nec tamen tam ſubtiliter aut rigoroſe iſta apud Auctores ſemper diſtingui, ſed ſæpe confundi ſolent. Quid vero

8 proprie ſit perjurium, ignorare non poterit, qui conſideret, quæ cap. II. de jurejurando diximus. Oppoſita enim ſive contraria invicem ſunt ὅρκος & Πιόρκος. Contrariorum autem eadem eſt ratio, eadem ſcientia, ut dicebat Ariſtoteles ſect. XXX. probl. IIX. & XII. atque ea natura, ut cognito uno alterum penitus non ignoretur: quod rectum & ſui ſit index & obliqui. Quemadmodum enim jusjurandum oſtendi eſſe religioſam adfirmationem, Deo adhibito teſte: ita *perjurium* nihil aliud erit, quam *mendacium falſa divini numinis obteſtatione firmatum.* Sive ut P. Lombardus habet, lib. III, ſentent. diſt. XXXIX. *mendacium iureiurando firmatum*; eo quod

©BIU Santé

quod insit in omni perjurio mendacium, ut docet Jo. Azorius Instit. Moral. part. I. lib. XI. cap. XII. quæst. II, facilisque à mendacio descensus sit in perjurium. *Qui* enim, ut 9
ait Cicero, Orat. pro Roscio Comœdo, *mentiri solet, peierare consuevit.* Et Orat. pro Rabirio Posthumo: *Quem ego, ut mentiatur, inducere possum; ut peieret, exorare facile potero.* Quæ 10
quamvis ita fere se habeant, est tamen, ubi Medico non liceat tantum, sed expediat quoque mentiri, ægri sæpe commodo & emolumento. Mendacium interim ejuscemodi perjurio firmare, minus convenire autumo, quanquam Palladius Sophista citra hæsitantiam id facere suadeat, Comm. ad 11
lib. VI. Epid. Hipp. sect. IV. aph. IX. Recte quidem Palladius hoc docet, officii Medicorum esse, ægrotos perniciose decumbentes consolari. φιλανθρωπίη enim est, & plenus mi- 12
sericordiæ animus, quem desiderant in Medico tum Hippocrates, lib. de Medico, & in præception. tum Scribonius Largus, Epist. ad C. Julium Callistum. Et bonum factum, si Medici id esse studerent, quod Basilius M. eos esse adfirmat, Epist. IIX. ubi ait: Ἔστι πᾶσιν ὑμῖν, τοῖς τὴν ἰατρικὴν μελέτῃσιν, φιλανθρωπίας τὸ ἐπιτήδευμα. *Omnibus vobis, qui artem Medicam tractatis, humanitatis est studium.* Sane rationem, quur Medicos tales esse oporteat, reddit Hippocrates lib. de Elegant. *quod austeritas & sanis & ægris sit inaccessa.* Recte præterea Callia- 13
nactem, Herophileum Medicum, Palladius carpit, quod ægrotanti cuidam desperabundo, ac subinde ingeminanti, se moriturum, in os dixerit: *Male habes, & moriere*: sive ut Galenus de eodem refert, Comm. ad eund. Hipp. locum:

Κάτθανε δ' Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων·
Et Patroclus obiit, qui te præstantior ipso:

aut, ut græcum versum ἀφελέσθαι Lucretius, lib. III.

Lumina si oculis etiam bonus Anci reliquit,
Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.

Minus vero recte habet, quod addit Palladius: *Quod si te* 14

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 229 sur 248

©BIU Santé

jurejurando adfirmare, quod dixiſti, oporteat, perjurio uti non dubites, nam boni cauſſa id facies. Etenim mentiri apud ægrum, aut eundem decipere, ſi ejus bono & ſalute id fiat, Medico, ut dixi, ſæpe licet. Et pluribus id oſtendit Franc. Valleriola, Enarrat. Med. lib. VI. enarrat. VI. Salus enim ægri ſuprema Medici lex eſt, quacunque etiam ratione præſtare eam poſſit. Nec male hoc ſenſu Neoptolemo, apud Sophoclem, in Philoctete, quærenti,

Οὐκ αἰσχρὸν ἡγῇ δῆτα, τὰ ψεύδη λέγειν·
An turpe non videtur, falſa proloqui?

reſpondet Vlyſſes:

Οὐκ· εἰ τὸ σωθλῶαι γε τὸ ψεῦδος φέρει·
Non; ſi ſaluti conferat mendacium.

Ut propterea Clemens Alexandrinus Strom. lib. VII. etiam homini Chriſtiano mentiri concedat, ſi *pro remedio* id fiat, ſive ἐν θεραπείας μέρει, atque eo modo, quo ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν καμνόντων ψεύδεται. *ut Medicus mendacio utitur ad ægrotantes, pro ſalute ipſorum.* In deceptione res conſimili modo habet. Ut enim Maximus Tyrius ait, ſerm. III. Καὶ ἰατρὸς νοσοῦντα ἐξαπατᾷ, καὶ στρατηγὸς στρατόπεδον, καὶ κυβερνήτης ναύτας· καὶ δεινὸν οὐδέν. *Et Medicus ægrotum, & imperator exercitum, & gubernator nautas decipit: nec quidquam in eo eſt mali.* Utrobique enim, & in mendacio, & in deceptione, τὸ ἀγαθὸν κρεῖττόν ἐστι τοῦ ἀληθείας· *id quod bonum eſt, melius eſt vero*, inquit Proclus ad Platonem IV. Socr. & ut porro ait Maximus; ἤδη καὶ ψεῦδος ὤνησεν ἀνθρώπους, καὶ τὸ ἀληθὲς ἔβλαψεν· *aliquando mendacium juvit mortales; & veritas iiſdem obfuit.* Medicus nempe ἀπατᾷ μέν, ἀπατεὼν δ' οὐκ ἐστίν· *decipit quidem, deceptor tamen non eſt.* Οὐ γὰρ τέλος ἔχει τὸ ἀπατᾶν τὸν νοσοῦντος, ἀλλὰ σωτηρίαν· *Neque enim propoſitum ſibi habet decipere, ſed ſervare ægrotum*, ut optime olim diſtinguebat Andronicus Rhodius, Ariſtotelis vetus interpres. At mendacium ejuſcemodi, aut deceptionem, licet ægri bono fiant, perjurio confirmare, quod volebat Palladius,

Non

©BIU Santé

Non mihi tam prudens quiſquam perſuadeat auctor,
ut ſequar, & conſcientiam religione obſtringam, etiam ibi, ubi nihil ejus rei facere neceſſum habeam. Sed pergit Hippocra- 16
tes in contextu, & diras capiti ſuo, ac τ' ἀναντία ſeu contraria iis, quæ prius optarat, ſi pejeret, imprecatur. Simili formula utitur Cambyſes, apud Herodotum lib. III, μήδ' ἀναζωσαμβόοισι, τὰ ἐναντία τούτοισι ἀρέομαι ἡμῖν · *non ſervantibus nobis, contraria his, quæ dixi, imprecor.* Et Valens Vettius, Anthologiωn lib. IV. Ἐπιορκῆσι ἢ τὰ ἐναντία. *Peierantibus contraria eveniant.* Fit autem hoc etiam more ſolenni, quo execratione jusjurandum veteres finire ſolebant, quam ἀρὰν & κατάραν dixere, ſive *imprecationes* & *diras.* Πᾶν γὰρ ὅρκ@ εἰς καράραν πλθλᾷ τ ἐπιορκίας. *Iusjurandum omne in diris & execrationibus periurii finit,* inquit Plutarchus Roman. quæſt. XXXIX. Exempla dirarum execrationum, λεινῶν τε ϗ φεικωδέων, & 17
ut Syneſius vocat, παλαμναιοτάτων, paſſim apud Auctores eſt invenire. Nos aliquas tantum adducemus, quæ exempli loco ſint, & peculiari ſolemnitati jurijurando præſtito ſubjungi ſolebant. Demoſthenes Orat. adv. Conon. Ἐι τ' ἐπιορκῶ, ἐξώλης ἀπολοίμλν, αὐτός τε, κὴ εἴτι μοί ἐστιν, ἢ μέλλ ἔσεσθ. *Si peiero, funditus peream & ipſe, & ſi quid mihi eſt, aut futurum eſt.* Homerus Iliad. τ.

Εἰ δέ τι τ δ' ἐπίορκόν, ἐμοι θεοὶ ἄλγεα δοῖεν
Πολλὰ μάλ', ὅσα δίδασιν, ὅτις σφ' ἀλίτησιν ὁμόσας.
At mihi DI ſuperi tribuant, ſi peiero, quidquid
Ferre ſolent, quorum ſuperos periuria lædunt.

Euripides Medea :

Med. —— τί δ' ὅρκῳ τῷδε μεμιμθώων πάθοις ;
Ai. Ἅπασι δυσεβεῖσι γίγνε) βροτῶν.
Med. *Sed quid lues, periurium ſi feceris?*
Ag. *Quod evenire ſuevit improbis viris.*

Demoſthenes iterum, Orat. adv. Timocr. Ἐπάρωμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ, ϗ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτ, ἐάν τι τούτων ψ δεδεύνομαι. *Exitium mihi ipſe*

©BIU Santé

imprecor, meæque familiæ, ſi quid horum violavero. In fœdere Smyrnæorum & Magnetum, apud Io. Seldenum, in Marmor. Arondelianis: Ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτῷ, καὶ γένει τῷ ἐξ ἐμοῦ. *Peieranti vero exitium ſit, & mihimet ipſi, & poſteris meis.* Hippolytus apud Euripidem;

Ἦτ' ἂν γ' ὀλοίμην ἀκλεὴς, ἀνώνυμος,
Ἄπολις, ἄοικος, φυγὰς ἀλιτοῦσιν χθόνα·
Καὶ μήτε πόντος, μήτε γῆ δέξαιτό με
Σάρκας θανόντος, εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ.
Ita occidam ipſe inglorius, expers nominis,
Extorris, exul, ſedibus dubiis vagans;
Nec pontus olim, terra nec meos ſinu
Recondat artus; ſi ſcelus ſiem viri.

Propertius lib. II. Eleg. XXI.

Oſſa tibi iuro per matris, & oſſa parentis:
Si fallo, cinis, heu! ſit mihi uterque gravis.

Et lib. IV. Eleg. VII.

——— *Si fallo, vipera noſtris*
Sibilet in tumulis, & ſuper oſſa cubet.

Graviſſima eſt execratio illa apud Æſchinem, in Oratione, quam dixerunt Amphictyones & Athenienſes, juramento mutuo ſe obſtringentes in bello ſacro, quod Solon, ut Plutarchus in ipſius vita habet, ſuadebat. *Si quis hæc non ſervaverit, ſive civitas, ſive privatus, ſive gens, piaculum ſit Apollini & Dianæ, ne ipſis terra fruges ferat, neque uxores liberos ſimiles parentibus pariant, ſed monſtroſos, neque pecudes naturales fœtus edant, & ſuccumbant in bellis, iudiciis & foro, & funditus pereant ipſi, & domus ipſorum & nunquam queant ſacrificare Apollini*
18 *& Dianæ, neque illi ſacrificia eorum reſpiciant.* Cæterum perjurium graviſſimum eſſe ſcelus, nemo expectet, ut prolixe oſtendam. *Deum* enim, ut ait Philo, lib. de Decal. μάρτυρα ποιεῖν ἐπὶ ψεύδει, ἀνωσιώτατον· *teſtem citare ſuper mendacio, facinus eſt uefarium; &, ni fiat in veritatis favorem. ſcelus eſt haut*

expia-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 232 sur 248

©BIU Santé

expiatu facile, ait idem, lib. de Special. Legib. Et Plato lib. 11. de LL. Ψεῦδος μηδεὶς μηδὲν, μηδ' ἀπάτῃ, μηδέ τι κίβδηλον, μήτε δικαλεύθερος θεῶν, μήτε λόγῳ, μήτε ἔργῳ παίζων, ὁ μὴ βουλόμενος ἑκὼν μέλλων, ὅτος δ' ἐστὶν ὃς ἂν ὅρκους ὀμνὺς ψεύδεις, μηδὲν φροντίζει θεῶν. *Nemo quisquam, invocatis DIs, falsum dolosum, depravatumque quidquam, vel verbis vel reipsa admittat, nisi DIs infensissimus esse velit, qualis est, qui sacrosancta numinis auctoritate insuper habita, falsum iuramentum dicit.* Tum Phocylides Nuthethico:

Μήτ' ἐπιορκήσῃς, μήτ' ἀγνὼς, μήτε ἑκόντι·
Ψεύδορκον γυιέῃ θεὸς ἄμβροτος, ὅστις ὀρεῖται.
Ne iusiurandum violes nolensve, volensve:
Numen enim superum quemvis, qui peierat, odit.

Et præterea, ut Homerus ait Iliad. γ.

——— Χαλεπὸν τὸ λαθεῖν θεὸν ἄνδ' ἐπίορκον,
Difficile est hominem periurum fallere Divos.

Unde Ageſilaus apud Ælianum Hiſtor. Var. lib. XIV. cap. 11. de Barbaris, perjurio fallentibus, ſibi gratulabatur: *Ita enim*, inquiens, *Deos ſibi ipſis infeſtos, mihi vero ſocios & amicos reddunt.* Quemadmodum vero *contra homines factæ blaſphemiæ non impunitæ manent: ita multo magis, qui per Deum blaſphemant*, quod perjuri faciunt, *digni ſunt ſupplicia ſua ſuſtinere*, ait Imperator Novella LXXVII. cap. 1. At quæ ſint iſta ſupplicia, nullibi quidem leges civiles exprimunt. Licet enim is, qui per Genium Principis pejeraſſet, fuſtibus caſtigaretur, Prætore ſubinde occentante; ὡσπερεῖς μὴ ὄμνυε· *petulanter ne iurato:* ut eſt in L. ſi duo. XIII. ff. fin. D. de jurejur. tamen in Deum perjuris nulla certa de jure civili decernitur pœna, nulloque ordinario judicio videntur ſubjici, ſed Deo ultori relinqui, L. 11. Cod. de reb. cred. in quam ſententiam etiam illa dicuntur apud Homerum Iliad. γ.

Οὐ μὰ πως ἄλιον πίλῃ ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν,
Σπονδαί τ' ἄκρητοι, ἠδὲ δεξιαὶ ἃς ἐπίσθμεθα.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 233 sur 248

©BIU Santé

Εἴπερ γάρ τε κὴ αὐτίκ' ὀλύμπιος οὐκ ἐπέλεσσεν,
Ἐκ τε κὴ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν,
Σὼ σφῆσι κεφαλῆσι, γυναιξί τε, ἠτεκέεσσιν.
Non fallet jusiurandum, ſanguiſque profuſus
Agnorum, dextræque datæ, & libamina ſparſa.
Quod ſi non ſubito Saturnius omnia faxit,
Perficiet tamen, & magno perjuria ſolvent,
In proprio capite, & teneris cum conjuge natis.

Quæ brevius complectitur Tibullus lib. I. El. IX.

Ah miſer & ſi quis primo periuria celat;
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

22 Cicero tamen lib. II. de Leg. *apud Romanos periurii pœnam divinam exitium eſſe* ait, *humanam dedecus*. Ubi per *dedecus* intelligo *cenſorias notas*, quibus affici ſolitos perjuros à Cenſoribus, idem Cicero teſtatur lib. III. de Offic. & exemplum cenſuræ in duos captivos, ad Hannibalem reverti recuſantes, habet
23 Agellius lib. VII. cap. XIX. Pontifex quoque Maximus, rerum divinarum & humanarum apud Romanos, ut Feſtus vocat, arbiter & judex, controverſias de juramentis ſolebat decidere. Unde illud Lenonis Plautini, Rudente, act. v. ſc. III.

Libet iurare. tun' meo pontifex perjurio es?

24 At Indorum lege, ut eſt apud Strabonem lib. XV. Scytharum, teſte Herodoto lib. IV. & Ægyptiorum, apud Diod. Siculum
25 lib. II. cap. LXXVII. perjuri capite plectebantur; additurque à Diodoro ratio, quod *duplici teneantur ſcelere, ut qui & pietatem in Deos violent, & fidem inter homines tollant, maximum humanæ ſocietatis firmamentum. Perjurus* enim, ut Iſidorus inquit, lib. II. ſentent. cap. XXII. quæſt. V. *dupliciter reus ſit, primum quia nomen Dei in vanum adſumit; deinde quia proximum dolo capit.* Contra, qui juramentum rite ſervare in animo habet, illi, utait alicubi Sophocles,

Ὅρκου προσθήκης, ὦ πιμελὲς τέκος
Ψυχὴ κατίσχη· δισσὰ γὰρ φυλάσσεται,
Φίλων τε μέμψιν, κἀς θεὸς ἁμαρτάνειν.

Atten-

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 234 sur 248

©BIU Santé

Attentior mens redditur deiurio
Conſtricta, cogitet ut duo iſta: proximi
Diras cavere, & in Deum delinquere.

Rationem tamen aliam, capitalis in periuris pœnæ, ex Ca- 26
nonum jure colligere liceat, quo *periurium æquiparari* vide- 27
tur *homicidio*, cap. cum non ab hom. de judiciis. *immo ſuperare homicidium* dicitur, XXII. quæſt. V. cap. ille qui. *quod plus ſit perdere animam, ut ſit à periuris, quam corpus; uniuſque animæ iactura gravior ſit, quam multorum corporum.* XXIV. quæſt. III. cap. ſi habes. Eodem etiam Canonum Jure *periuri infames* 28
habentur, cap. infames. VI. quæſt. I. & *arcentur à teſtimonio* cap. quicunque VI. d. quæſt. I. quam infamiam iiſdem etiam inurit Carolus V. Imp. in Ordinat. Criminali, hæc inſuper 29
addens verba, art. CVII. & CIIX. Nach dem im Heiligen Reich ein 30
gemeiner gebrauch iſt/ ſolchen falſchen ſchwerern die finger damit ſie geſchwören/ abzuhawen/ dieſelbe gemeine gewohnliche leibſtraffen wollen wir auch nicht endern.

Sed de hac re plenius agentem vide Jo. Azorium Inſtitut. Moral. part. I. lib. XI. cap. XII. quæſt. VI. & VII. Digitorum 31
tamen abſciſſionem, cujus Imperator mentionem facit, jam olim apud Indos in uſu fuiſſe, quos manuum extremitates perjuris amputaſſe, auctor eſt Strabo, loco proxime adducto. Nec malo conſilio quidem priſca antiquitas, ex quo Deos 32
ſuos per Stygem jurare commenta eſt, eoſdem perjurii convictos, pœnis etiam ſubjacere voluit. Nam & per annum integrum muti & veterno oppreſſi, ſine nectare & ambroſia, à perjurio commiſſo decumbere coguntur; novemque totos annos alios à DIs cæteris, eorumque contubernio, ac conviviis ſeorſim agere; donec decimo tandem anno in priſtinæ primum dignitatis locum recipiantur: ſi Heſiodo in Theogon. fides arbitranda eſt, Deorum ſecreta revelanti. Sunt etiam, ſi recte memini, qui Deos pejerantes novem millibus annorum in Tartaro puniri, ex Orpheo referant. Non 33
alii nempe fini hæc fabulis, quæ ſeria tamen ducerent, immiſcuit

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 235 sur 248

©BIU Santé

cuit antiquitas, quam ut eo magis nos à perjurio committendo, homines qui ſumus, deterreret. Qui enim animo infixum haberet, nec DIs impune eſſe perjurium, quid ſe futurum eſſet, ſi idem committeret, conjectari facile poſſe arbitrabantur.
34 Sed ad noſtra revertimur. Divinus Senex, ut jusjurandum tandem finiat, ſibi diſcipuliſque ſuis, ſi pejerent, contraria iis imprecatur, quæ jusjurandum ſervantibus ab DIs optarat. Pro vitæ nempe fruitione proſpera, vitam miſeram atque infelicem, pro ſucceſſu in artis operibus ſecundo, infauſtum, pro gloria & exiſtimatione, dedecus atque infamiam, Deos perju-
35 rii vindices poſcit. Conſideret hæc artis tiro, medicinæq; faciendæ animum manumque adplicaturus, ita rem ſacram tractet, ita jurisjurandi hujus placita obſervet, ſervetq;, ut ſi vitam beatam, quantam agere quidem in his terris licet, felicemq; in arte ſucceſſum, & ex hoc gloriam, quæ Ethnicus ſaltim reſpicit, tanti non facit; at Deum Opt. Max. ſpectet, memorem fandi atque nefandi, qui ἔκδικον habet ὄμμα,

Et quæ nos gerimus, auditque & videt;

aut extremas tandem meritaſque in extremo judicio delicto-
36 rum exſpectet pœnas. Sane qui bonæ mentis eſt, non tam jurabit, quod nolit is eſſe non juratus, quem interveniente juramento ſe futurum ſpondet: quam ne de ipſius animo ac voluntate illi dubitare habeant, quorum valitudo operam ju-
37 rantis, atque auxilium, aliquando ſit imploratura. Alioquin morum probitas juramento quovis firmior habenda: quum ut Philo loco laudato ait, ἤδη ὅτε ὀμνὺς, εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται. *Etiam eius, à quo iuramentum exigitur, fides in ſuſpicionem venit.*
38 In qua ſententia finio, ac Deum veneror ſubmiſſe, precorque, ut unicuique gratiam ſuam, tum jusjurandum hoc recte præſtandi, tum vitam artemque ab omni ſcelere puram conſervandi, largiri clemens bonuſque dignetur, cui ſoli laus, honor & gloria ſit in omne ſeculum.

FINIS.

TYPO-

©BIU Santé

TYPOGRAPHUS LECTORI.

FInem operatum facturus, benivole Lector, non abs re fore, immo ex uſu tuo putavi, ſi Indicem rerum verborumque, quæ notare operæ pretium fuiſſet, operi ſubjungerem. Sed & temporis interceſſit anguſtia, & quædam ſupervenere alia, quo minus præſtare id potuerim. Ne tamen plane μείζρ videatur liber, atque ut uno quaſi intuitu res præcipuas perluſtrare tibi liceret, Indicem Capitum omnium, & quæ in iis continentur ſingularia, continua ſerie heic loci ſubtexere volui, ut adcuratioris Indicis vicem is quoquo modo præſtaret. Tu utere eo, vale & mihi fave.

INDEX CAPITVM COMMENTARII.

CAP. I.

1. *Auctoris intentio.* 2. *De Auctore libri an quærendum.* 3. *Hippocrates multi.* 4. *Cujus Hippocratis filii ut fatui traducantur.* 5. *Cardanus notatus.* 6. *Hippocrates profeſſione Medici.* 7. *Hippocrates Magnus.* 8. *Hujus Genealogia.* 9. *A Reineccio & Henningeſio diſſenſum.* 10. *Hippocratis Magni laus.* 11. *An ejus ſit Iusjurandum.* 12. *An idem Galeno notum.* 13. *Galeni commentarius in Iusjurandum ſuppoſititius.* 14. *Galenum videri agnoviſſe Iusjurandum.* 15. *Auctor Commentarii in Aphoriſmos Hippocratis, Oribaſio adſcripti.* 16. *Teſtimonium de Iurejurando Scribonii Largi.* 17. *Sorani Epheſii.* 18. *Erotiani.* 19. *D. Hieronymi, & Gregor. Nazianzeni.* 20. *Theod. Priſciani.* 21. *Suida.* 22. *Arabum.* 23. *Hippocrates Iurisjurandi auctor.* 24. *Quibus illud præſcriptum?* 25. *& quam ob cauſſam.*

CAP. II.

1. Ὅρκος, ὅρκιον. 2. Ὅρκος *etymologiæ diverſæ.* 3. *Iusjurandum, jurandum.* 4. *Iupiter* ὅρκιος. 5. *Erynnies, perjurii vindices.* 6. *Iupiter* ἐπίμηλος. 7. *Dius Fidius.* 8. *Sacramentum.* 9. *Sacramenti etymon.* 10. *Iuramen.* 11. *Valla notatus, & Panormitanus.* 12. *Dejurium.* 13. *Vocula* De *ſignificatio in compoſitione diverſa.* 14. *Iusjurandum quid?* 15. *Ariſtoteles explicatus.* 16. *Religio.* 17. *Obſtringi & exſolvi religione.* 18. *Mynſingeri ſcrupulus.* 19. *Sub affirmatione negatio aliquando incluſa.* 20. *Ariſtoteles illuſtratus.* 21. *Franc. Philelphus laudatus.* 22. *Iuramentum* ἔπακτον, ἐπίμοτον, κατωμόσιον, ἀπώμοσιον. 23. *Iuramentum abnutivum, adnutivum.* 24. *Iuramentorum apud Iuriſconſultos differentia.* 25. Ὅρκος *Hippocratis ad quam differentiam referendus?*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 237 sur 248

©BIU Santé

CAP. III.

1. *Iurisjurandi Hippocratici tres partes.* 2. *Τῶ ὀμνύειν τίνυμον.* 3. *ὅρκον δίδοναι.* 4. *Iusjurandum dare.* 5. *dicere.* 6. *facere.* 7. *patrare.* 8. *ὀμνύειν ὅρκον, pleonasmus.* 9. *ἐγχωμασία, ὁρκωμοτίη.* 10. *Pleonasmi Græcis familiares.* 11. *Attestatio Numinum in jurejurando Hippocratico.* 12. *Causſa multitudinis Deorum apud Gentiles.* 13. *Causſa alia.* 14. *Macrobii ſententia de DIS veterum plurimis.* 15. *Item Philippi Cluverii.* 16. *Sententia & propoſitum Auctoris.*

CAP. IV.

1. *Apollines quattuor, vel ſex.* 2. *Tertius inter eos, medicinæ inventor.* 3. *Ab eo medicina ars Apollinea.* 4. *& Phœbea.* 5. *Apollinis nomen unde?* 6. *item Phœbi.* 7. *Apollo Medicus.* 8. *Apollo Paan.* 9. *ars paonia.* 10. *Paan hymnus.* 11. *Apollo ἀλέξιος.* 12. *cognomina & epitheta varia alia.* 13. *ejus in morbis invocatio.* 14. *Apollini ſacrum apud Athenienſes Gymnaſium.* 15. *Eidem ſacer numerus ſeptenarius.* 16. *Apollini divinandi munus tributum.* 17. *Prognoſis medica.* 18. *Ἀπολλώνια templa Apollinis.* 19. *Apollinis medici ſimulachrum.* 20. *quur imberbi facie pingatur?* 21. *apud Syros vero barbata?* 22. *quid additi ſerpentes notent?* 23. *item arcus?* 24. *& lyra?* 25. *quur Gratiis comitatus?* 26. *medicus χαρίδς, ſeu gratioſus.*

CAP. V.

1. *Æſculapii Ciceroni tres.* 2. *Æſculapius Hippocratis.* 3. *Hujus mater Coronis, Phlegyæ F.* 4. *vel potius Arſinoë Meſſenia.* 5. *quæ primum Coronis dicta.* 6. *Pater incertus.* 7. *Sed Apollo creditus.* 8. *Sacerdotum Apollinis fraudes.* 9. *Medicina olim Regum Principumque propria.* 10. *Æſculapius recens natus expoſitus.* 11. *Ejus nominis etymon varium.* 12. *Præceptores.* 13. *Infacilitanda medicina ſolertia.* 14. *laudes & præconia.* 15. *uxor & liberi.* 16. *fulmine ictus creditus.* 17. *de quo dubitatur.* 18. *quando divinis honoribus coli cœptus.* 19. *Ἀσκλήπια.* 20. *Templa Æſculapii plurima.* 21. *Templi Romæ condendi occaſio.* 22. *ἐγκοίμησις, ſeu incubatio.* 23. *Æſculapius quur barbatus?* 24. *& apud Phliaſios imberbis?* 25. *ejus baculus nodoſus.* 26. *Draco illi quur additus?* 27. *& canis?* 28. *Æſculapio capra immolari ſolita.* 29. *& gallinæ nigris roſtris & pedibus, digitiſque imparibus.* 30. *& gallus.* 31. *Æſculapii ſimulachrum.* 32. *cur pectore nudum, corpore reliquo tecto.* 33. *Veſtitus medicus apud antiquos.* 34. *Æſculapius palliatus.* 35. *Item coronatus, & pileatus.* 36. *In Æſculapium hymnus.* 37. *Quur per Pœonem, Deorum Medicum, jusjurandum non conceperit Hippocrates?*

CAP. VI.

1. *Nominis Hygeiæ ſignificatio triplex.* 2. *Sanitas apud Romanos.* 3. *in ὅρκῳ Hippocratis legendum ὑγίᾳ.* 4. *Æſculapii filii.* 5. *filiæ.* 6. *inter has Ὑώμη, ſeu Valentia.* 7. *Filiæ unde appellatæ.* 8. *omnes Medicinam doctæ, & profeſſæ.* 9. *Æſculapius ἄπαις.* 10. *Fœminæ ad Medicinam admiſſæ.* 11. *Hygeiæ cultus & templa.* 12. *Salus apud Romanos.* 13. *Natalis Salutis, Porta Salutaris, Vicus Salutaris.* 14. *Hygeia cum Pa-*

tre

©BIU Santé

tre culta. 15. *etiam ſola.* 16. Μετάνιπλεν Υγείας. 17. *Salutis augurium.* 18. *Simulachrum Hygeiæ.* 19. *& habitus matronalis.* 20. *In eam hymnus Ariphronis.* 21. *& Orphei.* 22. *Meditrina & Meditrinalia.* 23. *Hygeia cum Minerva culta.* 24. *Minervæ cognomina.* 25. *Minerva Medica.* 26. *Minerva in morbis ſupplicatum.* 27. *Minervæ draco ſacer.* 28. *Guidus Pancirollus notatus.* 29. *à M. Zuerio Boxhornio diſſenſum.* 30. *Hygeia Orpheo AEſculapii uxor.* 31. *Panacea.* 32. *Nepenthes Helenæ.* 33. *Panacea herba.* 34. *Panaceæ Paracelſiſtarum.* 35. *Panaceæ cultus.* 36. *Quur duas tantum in jurejurando nominarit filias AEſculapii Hippocrates?* 37. *Quur filios ejuſdem præterierit?*

CAP. VII.

1. *Lectio in textu varia.* 2. *Hippocratis intentio.* 3. *Iurandi formula per Deos Deaſque* συνομνύδλω *omnes.* 4. *formulæ aliæ, ubi poſt aliquos primum nominatos deinceps jurabatur per omnes.* 5. *aliæ, per Deos Deaſque plurimas promiſcue teſtatas.* 6. *DI* ἵστορες *invocati.* 7. *DI* μάρτυρες. 8. *jurare DIS attendentibus.* 9. *DIS judicibus.* 10. ἐπικαλέειν *&* ἐπικαλεῖσθαι Θεούς. 11. *D. Paulli jurandi formula.*

CAP. VIII.

1. Ὅρκου τέλειου, *&* τελούτων ὄρκων. 2. *Sacrificium perfectum.* 3. ἐπιτελέα ποιῆν ὅρκον. 4. ξυγγραφή. 5. συμφωνία. 6. χειρόγραφον. 7. *Syngrapha, Syngraphus.* 8. *Stipulatio.* 9. *Stipulatio & Syngrapha differunt.* 10. *Mens Hippocratis.* 11. κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν. 12. εἰς δύναμιν, εἰς δυνατόν. 13. *pro noſſe ac poſſe.* 14. *Secundum intelligentiam.* 15. *Sincero ſtudio.* 16. Trewlich vndt mit beſtem fleiß. 17. παρὰ δύναμιν. 18. *Ratio & cauſſa dictarum formularum.*

CAP. IX.

1. *Iurisjurandi pars ſecunda.* 2. *Lectio in textu varia.* 3. γλύφων *qui?* 4. *Parentes honorandi.* 5. *poſt illos maxime Præceptores.* 6. *& merito.* 7. *Præceptorum honoratorum exempla.* 8. *Præceptoribus poſt Deos libandi mos.* 9. *Diſcipulorum in Præceptores impietas.* 10. *Parentes alendi.* 11. ἀνταποδοτήρια, ἀνταπολαγήματα. 12. *Præceptores alendi.* 13. κοινώσειν βίου. 14. *Exhibere.* 15. *P. Memmius notatus.* 16. Βίου, πολύσημον. 17. Τὰ ἐπιτήδεια. 18. Χρεία, ἔνδεια. 19. *Siracidis locus à Goldaſto explicatus.* 20. χρεῶν χρήζειν. 21. Μεταδοῦναι ποιεῖσθαι. 22. *Exempla eorum qui Præceptoribus benefecerint.*

CAP. X.

1. *Ingratitudinis vitium.* 2. *gratitudo Hippocratis.* 3. *Ariſtotelis.* 4. *Præceptorum liberis quare benefaciendum?* 5. Ἀδελφῶν ἔνυμον. 6. Ἀδελφοὶ ἄρρενες. 7. *Fratrum diſcordia.* 8. ἄρρην *Græcis quid?* 9. *quid maſculum Latinis?* 10. *Hippocratis verborum ſenſus.* 11. *Diverſa in textu lectio.* 12. *Præceptorum liberi à diſcipulis docendi ſine mercede.* 13. *Salariatus ut doceat, an* διδακτὸν *exigere queat?* 14. μισθὸς *&* δίδακτρον *differunt.* 15. *Gratis docentium præceptorum exempla.* 16. *Præceptoru pauperiorus, etiam ſalariati, ratio habenda.* 17. *Præceptori & Medico non rei meritum, ſed*

©BIU Santé

ſed opera locata ſolvitur. 18. *Sponte oblata à diſcipulis recipere Præceptoribus licet.* 19. *Moderatio in acceptandis præmiis.* 20. *Iacobi Silvii avaritia.* 21. *Andr. Alciati error.*

CAP. XI.

1. *Lectio Hippocratis vulgatior aſſerta.* 2. φιλογελία. 3. ἀκριβασις. 4. *Priſcorum mos excerpendi & colligendi.* 5. ὁμολογαὶ, παρεκβολαὶ, *excerpta.* 6. *Scriptorum genus priſcis duplex.* 7. *Ariſtotelis exoterica & acroamatica.* 8. ἐξωτερικὰ *unde dicta?* 9. ἐγκύκλια. 10. *Vatablus, Montecatinus, Ramus, notati.* 11. *Sermones Pythagoricorum* μυστικοὶ. 12. *Democriti* χειρόσοφα. 13. *Heraclitti opus* περὶ φύσεως. 14. *Darii ad Heraclitum Epiſtola.* 15. *Platonis ſcriptorum differentia.* 16. *& Pythagoræorum* 17. *& Hippocratis.* 18. *Epidemiorum & Aphoriſmorum Hippocratis collatio.* 19. *quid* φιλογελία *& ἀκριβασις Hippocrati.* 20. *quid per* λοιπὸν ἀπαίσιον μαθησιν *velit.* 21. *Hippocrates ex Ariſtotele explicatus.* 22. *& Galeno.* 23. *Senſus verborum Hippocratis*

CAP. XII.

1. *Diſcipulorum Hippocratis differentia.* 2. *Medicina per Aſclepiadas propagatio.* 3. ἰατρῶν παῖδες. 4. *Medicus ex Pæonis familia.* 5. *Diſcipuli* συλλεγόμενοι. 6. ὡρκισμένοι. 7. Νόμος *vocabulum* πολύσημον. 8. *Vocabuli Legis acceptio apud Plautum.* 9. *Diſcipulorum Hippocratis duplex juramentum.* 10. *Hippocrates non quoſvis docere voluit.* 11. *Invidia è Medicina furcillanda.* 12. *Hippocrates invidiæ expers.* 13. *Res ſacræ profanis non revelandæ.* 14. *Orgia & myſteria quid?* 15. *Artium ſolis initiatis tradendarum mos.* 16. *Mos Armeniorum.* 17. *Chaldæorum.* 18. *Hebræorum.* 19. *Druidarum.* 20. *Pythagoræorum & Platonicorum.* 21. *Brachmanum.* 22. *Liber clauſus & apertus Doctorandorum.* 23. *Initiati, non initiati.* 24. *Hippocrati Lux à Villanovano.* 25. *Tralliano.* 26. *Medicinæ præcepta & remedia male vulgo revelantur.* 27. *& cum ægrotorum periculo.* 28. *Iuris Civilis tranſlatio Germanica improbata.* 29. *Hippocrates vernacula ſibi ſcripſit lingua, nec tamen omnibus, ſed doctis.* 30. *Nec intelligitur niſi ex ſe ipſo, & à Lectore in arte exercitato.* 31. *Cauſſa erroris Commentatorum in Hippocratem.* 32. *Etiam Galeni ipſius.* 33. *Cratonis ſententia.* 34. *Medicorum quorundam ſupinitas, & hinc pœnitentia aut pœna.* 35. *Nec Galenus omnibus ſcripſit, quæ edidit.* 36. *Nec ex Arabibus quidam, ut Haly Abbas.* 37. *& Averrhoes.* 38. *Rhaſis ſententia de aptis ad Medicinam.*

CAP. XIII.

1. *Lectio in textu diverſa.* 2. ἐπ' ὠφελείη καμισόντων. 3. διαίτημα *quid?* 4. διαίτης *vocabulum æquivocum.* 5. *ejus originatio.* 6. *Diæta in* ὄρχω *quid notet?* 7. *ejus utilitas.* 8. *Dea Victa & Potua.* 9. *Paracelſi error, aut inſcitia.* 10. *qui paucis refellitur.* 11. *& ſe ipſum refellit.* 12. *Hippocratis ætas.* 13. κατ' δύναμιν καὶ κελεύειν. 14. *AEgrorum in diætis peccata.* 15. *Impoſtorum latebræ ſub verbis illis,* κατ' δύναμιν καὶ κελεύειν. 16. *Magiſtratus in hoc paſſu officium.* 17. *Veneficia in cibis.* 18. δήλησις *quid.* 19. ἀδικία *&* ἀμαρτήματα *differunt.* 20. ἐξεῖναι *quid.* 21. *Hippocratis verborum ſenſus.* 22. *Fabius Calvus notatus.*

CAP. XIV.

1. *Tres negationes apud Græcos ſumme negant.* 2. Φαρμάκων *etymon duplex.* 3. *& ſignificatio*

©BIU Santé

ficatio duplex. 4. ut & medicamenti. 5. & veneni. 6. & virus. 7. φάρμακον θανάσιμον. 8. Medicus nec hosti det venenum. 9. Iul. Alexandrinus notatus. 10. & Iustus Velsius. 11. sed dubitanter. 12. Hippocrates an in hoc passu aliquando peccarit? 13. Romani venenorum fraudes nec in hostes probarunt. 14. Fabricii Cos. Romani memorabile exemplum. 15. M. Aquilii factum improbatum. 16. Eudemi & Xenophontis Medicorum scelera, 17. & Fridanci. 18. & Zedechia Iudei. 19. & aliorum. 20. Servi pius dolus in Domitium. 21. & Medici apud Apuleium. 22. Consimilis Cleophanti pietas. 23. Medici occidentis pœna. 24. συμβελίλω ἠχήσασθαι, & ὑφηγεῖσθαι. 25. in conscientiam adhibere, aut sumi. 26. De venenis ut agendum Medico. 27. Veneficus quis? 28. Etiam venditio veneni prohibita. 29. Statii Annæi Medici factum improbatum. 30. An differant exhibere venenum, & dare ut exhibeatur. 31. Archigenes Medicus an peccarit in jusjurandum Hippocratis? 32. An liceat Medicis veneni vim & alexipharmaci in morti damnatis experiri? 33. Herophili carnificina. 34. & Carpi. 35. & Fioravanti.

CAP. XV.

1. Πεσσοὶ & πεσσὰ communiter. 2. Pessi & pessaria Medicis. 3. πεσσόδιλα. 4. ἐγκλυσμοὶ à pessariis differunt. 5. περιωπίσκοι, βάλανοι. 6. πεσσὸς φθορίου. 7. φάρμακα φθόρια. 8. Ejicere. 9. ἀμβλωθρὸς. 10. ἀμβώγιμα. 11. Poculum abortionis. 12. abortus. 13. ὀκτρωσμὸς, ἔκρυσις, ἄμβλωσις. 14. ἔκρυσις differt à cæteris. 15. abortus & aborsus differunt. 16. Fœminarum maximum munus, accipere & tueri conceptum. 17. Abortum provocare, summum scelus. 18. Hippocratis religiositas. 19. Sub pesso corruptorio etiam alia φθόρια comprehenduntur. 20. Hippocrates ex Scribonio explicatus. 21. Galenus Hippocrati ὑμοψηφεῖ. 22. Excussi fœtus pœna in sacris litteris, 23. Ex Canonum jure. 24. Sixti V. Bulla. 25. Solonis & Lycurgi in abortionum auctores animadversio. 26. Iuris Civilis sanctiones variæ. 27. Valentiniani, Valentis, & Gratiani decretum. 28. Supponere pessum φθόριον, & dare ut supponatur, an differant? 29. Canonum sententia. 30. Conscientia ut consulendum? 31. Abortum quando procurandum nonnulli putaverint? 32. Et quidem Hippocratis exemplo muniti. 33. & Exodi loco super distinctione fœtus formati à non formato. 34. quam Canones etiam recipiunt. 35. & Constitutiones Imperii. 36. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. 37. Parvitas uteri non est caussa, ob quam excuti debeat fœtus. 38. Fœmina etiam parva sæpe sine periculo pariunt. 39. Uteri parvitatis an certa sint signa? 40. Angustia colli uteri non indicat fœtus corruptionem. 41. Femina ἄτρητος, imperforata. 42. Sectionis Cæsaria in gravidu administratio. 43. Ob vesicam imbecillem non provocandus abortus. 44. nec ob morbum matris acutum. 45. Abortus per se periculosi. 46. & magis accedente morbo acuto. 47. ἔκρυσις in gravida non solicitanda. 48. Tertulliani de hoc sententia. 49. Historiam Hippocratis de Psaltria, ut quidam excusent? 50. liber de natura pueri an Hippocratis? 51. Exodi locus sub trutinam vocatus. 52. Græci interpretis sententia. 53. & Latini. 54. Græca translatio non authentica. 55. Textus Hebraus ad verbum redditus. 56. Rabbi Avenezra & Salomon notati. 57. Hebraici textus sensus. 58. Dionysii Richel, & aliorum sententia. 59. Fœtus quo tempore animetur. 60. an circa xxx. vel xxxv. diem? 61. Probabilius esse, citius fœtum animari. 62. Et quidem in ipsa statim conceptione. 63. Sixti V. Bulla laudata. 64. Disputationis conclusio. 65. Hippocratis sententia aurea. 66. à Zuingero explicata. 67. Zenonis Alexandrini laus, 68. & Daphni Ephesii, 69. & Iamblichi.*

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 241 sur 248

©BIU Santé

CAP. XVI.

1. *Calculi in quavis corporis parte generantur.* 2. *Calculus in gena generatus.* 3. *in lingua ligamento.* 4. λιθὶς & λιθίασις. 5. λεβῶντες, & λιθῶντες, *an differant?* 6. *Quos Hippocrates hic intelligat per* λιθῶντας. 7. *Renum sectio.* 8. *An remedium calculo infringendo noverit Hippocrates?* 9. *An* λιθίασις *citra sectionem curabilis?* 10. *An Chirurgia, seu manuum operatio ad Medicinam pertineat?* 11. *Avenzoaris sententia, & Oribasii.* 12. *Sententia vera.* 13. *Chirurgia pars Medicinæ.* 14. *Chirurgiæ auctores.* 15. *Machaonis & Podalirii studium diversum.* 16. *Apollo* ἠπιόχειρ. 17. *Medici Clinici & Chirurgi.* 18. *Operationes Chirurgicæ Medicis adscriptæ.* 19. *& instrumenta Chirurgica.* 20. *Hippocratis scripta Chirurgica.* 21. *Galenus Chirurgiam exercuit.* 22. *Medicus etiam Chirurgus.* 23. *Minister Medici & Chirurgi.* 24. *Hujus requisita.* 25. *Barbatores hodierni, an mereantur nomen Chirurgi?* 26. *Medici carnifex.* 27. *Medicus quo respectu manibus operetur?* 28. *Medici certarum partium.* 29. *Medici Ocularii, Dentarii, Auriculares.* 30. *Ex horum censu lithotomi.* 31. ἐργάτης *qui?* 32. *Medicus* ἐγχειρήσεως *sit peritus.* 33. *An Hippocrates intuitu crudelitatis calculi sectionem abs se removerit?* 34. *Caussa verior.* 35. *Duplex verborum Hippocratis sensus.*

CAP. XVII.

1. *Pleonasmi Græcis familiares.* 2. *Malorum Medicorum mos.* 3. *Plinio Secundo adscripta Epistola.* 4. *Pramii inter morbi cruciatus extorsio.* 5. *Martialis jocus.* 6. *& Philippi Macedonis.* 7. *Medicis prohibitum durante morbo cum ægroto paciſci.* 8. *Medicorum infamia summa, opus quærere.* 9. *Ægri salus, suprema Medici Lex.* 10. *Medicus etiam doctus leviter aliquando errare potest.* 11. *præsertim in morbi principio.* 12. *Hippocratis exemplum.* 13. *Galeni.* 14. *Avenzoaris, & Matthæi à Gradis.* 15. *Nec tamen qui ita errant imperitiæ tenentur.* 16. *Ægyptiorum Lex, à Bocchoride lata.* 17. *Austrigildis facinus.* 18 *& Alexandri M.* 19. *Et Antonini Imp.* 20. *Medico imputatur, quod per imperitiam peccat.* 21. *& punitur, sed pœna extraordinaria.* 22. *Sensus verborum Hippocratis.* 23. *Varia in contextu lectio.* 24. *Gorrhæus notatus, item Glossæ Scaligeri.* 25. φθορὴν, *corruptela.* 26. *Vlterior Hippocratis verborum sensus.* 27. *Gorrhæus iterum notatus.* 28. ἄλλη *quid?* 29. *quid planus.* 30. ἔργα ἀφεῤῥόδισια. 31. ἐργάζεσθαι, ἐργασία. 32. *opus, opera.* 33. συνεργεῖν. 34. ἐπ' αὐτοφώρῳ. 35. *Castitas Medico servanda.* 36. *Æsculapius Agnites.* 37. κνίζα *apud Scholiastem Theocriti.* 38. *Zona Lumbaris Medicorum quid notet?* 39. *Medici luxuriosi & adulteri.* 40. *Didymon.* 41. *Apollonides Cous, & ejus pœna.* 42. *Vectius Valens.* 43. *Eudemus.*

CAP. XVIII.

1. *Lectiones in textu diversæ.* 2. *Lex* ὕβρεως *Solonis.* 3. σώματα οἰκέτικὰ. 4. *Servorum conditio apud veteres.* 5. *Quur Hippocrates etiam servis noluerit contumeliam fieri?* 6. *Iuris Consultorum opinio.* 7. *quæ in dubium vocatur.* 8. *Sententia propria.* 9. *Sensus verborum Hippocratis.* 10. *Quibus masculam venerem damnat.* 11. *Hujus impuritas, & crimen nefandum.* 12. *Sodomitis olim familiare.* 13. *& Græcu.* 14. *Persis.* 15. *Romanis.* 16. *Gallis.* 17. *Germanis priscis incognita.* 18. *Dubium de his, dilutum.* 19. *Pœna sceleris in sacris litteris.* 20. *Apud Græcos.* 21. *Gothos.* 22. *Romanos.*

©BIU Santé

manos. 23. Lex Scantinia. 24. Exempla à Romanis punitorum. 25. Reſcriptum Conſtantii & Conſtantis, & Iuſtiniani Imp. 26. Leonis & Conſtantini. 27. Valentiani, Theodoſii & Valentiniani. 28. Iuſtiniani alia ſententia. 29. Cenſura Eccleſiaſtica in ſcelus illud. 30. Conſtantini & Conſtantis reſcriptum explicatum. 31. Nubere in fœminam. 32. Porrigere, arrigere, ἀφροδίσια. 33. A Dionyſio Gothofredo diſſenſum. 34. Charonda Lex. 35. & Perſarum.

CAP. XIX.

1. Diverſa in textu lectio. 2. Anacharſis Scytha quo ſchemate dormierit. 3. Hippocratis monitum de ſilentio ſervando. 4. De ſilentio conſilium Periandri. 5. & Siracidis. 6. & Agamemnonis. 7. Silentii uſus. 8. Garrulitatis noxæ. 9. Ejus abominatio. 10. Philoſophorum ſilentii indictio. 11. ἐχεμυθία. 12. Pythagoricorum ſilentium. 13. Medico maxime convenit ſilentium. 14. Harpocratis ſimulachrum in templis Iſidu & Sarapidis. 15. Silentium Medicorum fundatur in Iure naturali. 16. Medicus à Iudice interrogatus an ſecreta ægrotorum revelare teneatur? 17. Scrupulus à Valleriola injectus. 18. qui amovetur. 19. Virgilii Medicina quur muta dicta. 20. Sententia quorundam. 21. Sententia propria. 22. Hippocratici textus ſenſus. 23. Hippocrates ex D. Hieronymo illuſtratus.

CAP. XX.

1. Iurisjurandi Hippocratis pars tertia. 2. Ἐμμένειν ὅρκῳ. 3. Δοκεῖν, δόξκ. 4. Formula finiendi juramenta. 5. συγχέαι ὅρκον. 6. Conturbatores. 7. ὑπερβαίνειν ὅρκον. 8. Lectio in textu gemina. 9. ὑπωμοσία. 10. Votum Hippocratis duplex. 11. quod utrumque eſt conſequutus. 12. Hippocratis longævitas. 13. & in arte facienda ſucceſſus. 14. An Medicus in artis exercitio peculiari indigeat fortuna. 15. Aliorum opinio. 16. & Aſtrologorum. 17. Fortuna quid? 18. Quæſtionis deciſio. 19. Vbi multum artis, ibi parum fortunæ. 20. Chilonis Apophthegma. 21. Medico non ſemper res ex voto ſuccedit. 22. Ἀκεσίας ἰάσιμος. 23. Medicina ars τεχνικὴ. 24. Finis non eſt in poteſtate operantis. 25. Aliud officium artificis, aliud finis. 26. Medicum ut nonnulli fortunatum putent? 27. ut vere fortunatus eſſe poſſit? 28. Medicina Diis concedit. 29. Iapidis Virgiliani exemplum. 30. Aliorum de fortuna Medici ſententia.

CAP. XXI.

1. Δοξαζόμενοι ὑπὸ πάσης ἀνθρώπους. 2. εἰς τὸ ἀεὶ χρόνον, Græciſmus. 3. Hippocrates gloriæ amans. 4. Gloria virtutis præmium. 5. Hippocrates glorioſus. 6. Athenienſium SC. de Hippocrate. 7. Prytaneium Athenis. 8. Artaxerxes Rex Hippocratem accerſit. 9. Coorum reſponſum maſculum pro Hippocrate. 10. Abderitanorum Hippocrati habitus honor. 11. Hippocratis encomia. 12. Cos inſula dicta, Θεὸς φίσιν, 13. Paracelſici Hippocratis auctoritate ſe tueri ſatagunt. 14. Sepulchro Hippocratis inſidentes apes, mel medicatum ſtipant. 15. Apes inſidentes ori Platonis & Steſichori. 16. Epigraphe imaginis Hippocratis, Vrbini. 17. Inſcriptio Tumuli Hippocratis.

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 243 sur 248

©BIU Santé

CAP. XXII.

1. ὀμνύειν ὅρκον. 2. aut ἐκλείπειν. 3. ἐπιορκεῖν. 4. Ius pejeratum. 5. ἐπίορκον ὄμνυσι. 6. ψευδορκεῖν, differt ab ἐπιορκεῖν. 7. ut mentiri, à mendacium dicere. 8. perjurium quid? 9. à mendacio facilis descensus ad perjurium. 10. Medico aliquando mentiri licet. 11. Palladius Sophista notatus. 12. In Medicis humanitas laudata. 13. Callianactis Medici austeritas. 14. Medicus mendacium licitum perjurio non confirmet. 15. Medico agros decipere licet. 16. ἀφὴ in juramentis. 17. earum formula & exempla. 18. Perjurium, scelus gravissimum. 19. & omnino puniendum. 20. Per genium Principis jurantis pœna. 21. In Deum perjuris nulla de jure civili definita pœna. 22. Censores tamen apud Romanos de perjurio cognoscebant. 23. Et Pontifex Maximus. 24. Perjuros qui capite plectebant? 25. & quare? 26. ratio alia. 27. Canones perjurium aquiparant homicidio. 28. & perjuros infames pronunciant. 29. quod & Carolus V. facit. 30. & digitos præcidi jubet. 31. ut Indi olim solebant. 32. Deorum gentilium pejerantium pœna. 33. eam cur finxerit vetustas? 34. Hippocratis imprecatio in pejerantes. 35. Admonitio ad artis initiatos. 36. quos citra juramentum satius erat τῶ ὅρκω præcepta servare. 37. quod morum probitas potior sit juramento. 38. Operis Conclusio.

INDEX

©BIU Santé

INDEX AVCTORVM

quorum teſtimonio auctor operis uſus fuit.

A.

ADrianus Turnebus
Ælianus
Ælius Spartianus
Æmylius Portus
Æſchines
Aëtius
Agellius
Aimoinus
Albericus de Roſate
Albertus Crantzius
Albricus Philoſophus
Alexander ab Alexandro
Alexander Benedictus
Alexander Trallianus
Alexius Comnenus
Aloyſius Cadamuſtus
D. Ambroſius
Ambroſius Paræus
Ammianus Marcellinus
Ammonius Philoſophus
Andreas Alciatus
Andreas Berchtoldus
Andreas Cæſalpinus
Andreas Dudithius
Andreas Matthiolus
Andreas Tiraquellus
Andronicus Rhodius
Angelus Abbatius
Antoninus
Antonius Benivenius
Antonius Guainerius
Antonius Niger
Anutius Foëſius
Apollonius
Appianus
Apulejus Medicus
Aretæus
Arias Montanus
Ariphron Sicyonius
Ariſtides
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arnaldus Villanovanus
Arnobius
Arrianus
Artemidorus Daldianus
Athenæus
Athenienſium SC.
Auctor Carminis Liberi
Auctor Commentarii Arabici in Jusjurandum Hippocr.
Auctor Commentarii Græci in Aphoriſmos Hippocr.
Auctor Epitomes in Athenæum
Auctor Etymologici
Auctor Introductorii
Avenzoar
Averrhoës
Avicenna
Augerius Busbequius
Auguſtinus
Aurelius Caſſiodorus
Aurelius Victor
Auſonius
Auſonius Popma.

B.

Balbus Gloſſographus
Balduinus Ronſſeus
Balſamon
Barnabas Briſſonius
Bartholomæus Brixianus
Beroſus
Biblia ſacra
Boëthius
Bruno Seidelius.

C.

Cælius Aurelianus
Cælius Rhodiginius
Cæſar Cremoninus
Callimachus
Caſpar Barthius
Caſpar Bauhinus
Caſpar Peucerus
Cedrenus
Cenſorinus
Chriſtianus Becmannus
Chryſoſtomus
Cicero
Claudius Salmaſius
Clemens Alexandrinus
Clemens Romanus
Columella
Concilium Lateranenſe
Conſtitutiones Imperiales
Corn. Celſus
Cornelius à Lapide
Cyprianus
Cyrillus.

D.

Daniel Heinſius
Daniel Sennertus
Democritus
Demoſthenes
Diodorus Siculus
Dion Caſſius
Dionyſius Gothofredus
Dionyſius Halicarnaſſæus
Dionyſius Lambinus
Dionyſius Richel
Dioſcorides
Dominicus à Soto.

E.

Emanuel Tremellius
Empedocles
Ennius
Epigrammata Græca
Epiphanius Cyprius
Eratoſthenes
Erotianus

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 245 sur 248

©BIU Santé

Euripides
Euſebius
Euſtathius
Eutropius.

F.

Fabius Calvus
Ferdinandus Mena
Feſtus Pompejus
Florus
Focas Grammaticus
Franciſcus Connanus
Franciſcus Iunctinus
Franciſcus Iunius
Franciſcus Patricius
Franciſcus Philelphus
Franciſcus Piccolhominеus
Franciſcus Ranchinus
Franciſcus Ripa
Franciſcus Rouſſetus
Franciſcus Valeriola
Franciſcus Vatablus
Franciſcus Xaverius
Frid. Taubmannus
Fulvius Urſinus.

G.

Gabriel Fallopius
Galenus
Garſias Carrerus
Garyopontus
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Turonenſis
Guidus Pancirollus
Guilielmus Ballionius
Guilielmus Budæus
Guntherus Poëta.

H.

Halyabbas
Harmenopulus
Harpocration
Henningus Arniſæus
Heraclides
Herodianus
Heſiodus
Heſychius
D. Hieronymus
Hieronymus Cardanus
HieronymusHenningeſius
Hieronymus Mercurialis
Hippocrates
Homerus
Horatius
Horatius Augenius
Hoſtienſis.

I.

Jacobus Nicolaus Loënſis
Jacobus Menochius
Jacobus Rævardus
Jacobus Silvius
Janus Gruterus
Joachimus Camerarius
Joachimus Mynſingerus
Joachimus Perionius
Joannes Aloyſius Catelanus
Ioannes Andreæ
Ioannes Azorius
Ioannes Baptiſta Silvaticus
Ioannes Bernartius
Ioannes Bodinus
Ioannes Caſus
Ioannes Crato
Ioannes Cuſpinianus
Ioannes Elichmannus
Ioannes Freitagius
Ioannes Gorrhæus
Ioannes Grammaticus
Ioannes Guilielmus Stuckius
Ioannes Matthæus
Ioannes Meurſius
Ioannes Oporinus
Ioannes Obſopœus
Ioannes Owenus
Ioannes Raphaël Moxius
Ioannes Riolanus
Ioannes Schenckius
Ioannes Seldenus
Ioannes Sepulveda
Ioannes Setzerus
Ioannes Stobæus
Ioannes Tritthemius
Ioannes Tzetzes
Ioannitius
Ioſephus
Ioſephus Scaliger
Iſaacus Caſaubonus
Iſidorus
Iſocrates
Iudæus Medicus antiquus
Iulianus Imp.
Iulius Alexandrinus
Iulius Cæſar
Iulius Cæſar Claudinus
Iulius Cæſar Scaliger
Iulius Capitolinus
Iulius Clarus
Iulius Hyginus
Ius Canonicum
Ius Civile
Iuſtinus
Iuſtus Lipſius
Iuſtus Velſius
Iuvenalis.

L.

Lactantius
Laërtius
Largius Deſignatianus
Leonardus Fioravantus
Leonis Imp. Eclogæ
Lexicon Græcolatinum Cyrilli
Livius
Longus Sophiſta
Lucanus
Lucianus
Lucillius
Lucius Apulejus
Lucretius
Ludovicus Arioſtus
Ludovicus de Avila
Ludovicus Duretus
Lycophron.

M.

Macrobius
Mamfredus
Marcellus
Marcianus Geographus
Marcianus IC.
Marcus Zuerius Boxhornius
Marcus Sabellicus

Mari-

©BIU Santé

Marinus, ſive Marianus
Marſilius Cagnatus
Martialis
Martinus Akakia
Martinus Rulandus
Matthæus Gradis
Matthæus Weſembecius
Matthias Martinius
Mauritius Cordæus
Maximus Tyrius
Melchior Goldaſtus
Menologium Græcorum
Meſue
Michael Doringius
Mimnermus
Minucius Felix
Muſæus,

N.

Nicephorus Calliſtus
Nicetas Choniatas
Nicolaus Damaſcenus
Nicolaus Monardes
Nicolaus Myrepſus
Nonius Marcellus
Nonnus.

O.

Obertus Giphanius
Octavianus Ferrarius
Octavius Horatianus
Onkelos, ſeu Chaldaicus interpres Bibliorum
Onomacritus
Onuphrius Panvinius
Oppianus
Oribaſius
Oroſius
Orpheus
Ovidius.

P.

Pætus
Palladius
Panormitanus
Paullinus
D. Paullus
Paullus Ægineta
Paullus Cypræus
Paullus Diaconus
Paullus Leopardus
Paullus Warnefridus
Pauſanias
Perſius
Petronius
Petrus Aponenſis
Petrus Galatinus
Petrus Gregorius
Petrus Heigius
Petrus Laurembergius
Petrus Lombardus
Petrus Memmius
Petrus Moſellanus
Petrus Ramus
Petrus Victorius
Phavorinus
Pherecydes
Philemon
Philippus Cluverius
Philippus Scherbius
Philo Judæus
Philoponus
Philoſtratus
Philotheus Medicus
Philotheus Patriarcha
Pierius Valerianus
Pindarus
Phlegon Trallianus
Phocylides
Photius Patriarcha
Phurnutus
Plato
Plautus
Plinius
Plinius Secundus
Plinius Valerianus
Plutarchus
Polybius
Pollux
Pomponius Mela
Pomponius Lætus
Proclus
Procopius
Propertius
Proſper Martianus
Prudentius
Ptolomæus
Publius Mimus
Publius Victor
Pythagoras.

Q.

Quinctilianus
Quinctus Calaber
Quinctus Serenus.

R.

Rabbi Avenezra
Rabbi Salomon
Raymundus Mindererus
Regino
Reinerus Reineccius
Rhaſes
Ritius Neapolitanus
Rodericus à Caſtro.

S.

Samuel Dreſemius
Sanctorius Sanctorius
Scævola Sammarthanus
Scholia Græca in Iusjur. Hipp.
Æſchyli
Ariſtophanis
Oppiani
Scholiaſtes Pindari
Theocriti
Thucydidis
Scribonius Largus
Sebaſtianus Caſtalio
Seneca Philoſophus
Seneca Rhetor
Serapio
Servius Donatus
Sextus Philoſophus
Sigebertus Gemblacenſis
Sigiſmundus Baro ab Herberſtein
Silius Italicus
Silveſter Prieras
Simplicius
Sixti V. Bulla
Sixtinus Amama
Solinus
Sophocles
Soranus
Statius Papinius
Stephanus Cous
Stephanus Forcatulus
Stephanus Zamoſcius

Hippocratis Magni [Orkos], sive Jusjurandum. Recensitum et libro commentario ... - page 247 sur 248

©BIU Santé

Strabo
Suetonius
Synodus Constantinopolitana.
T.
Tacitus
Terentius
Tertullianus
Themistius
Theocritus
Theodoretus
Theodorus Priscianus
Theodorus Zuingerus
Theognis
Theophilus
Theophilus Protospatharius
Theophrastus Eresius
Theophrastus Paracelsus
Thessalus Medicus
Thomas Cornacchinus
Thomas Erastus
Thomas Fienus
Thomas Reinesius
Thomas de Vio Cajetanus
Thucydides.
V.
Valens Vettius
Valerius Maximus
Valla
Varro
Udalricus Zasius
Victruvius
Virgilius
Ulpianus Rhetor.
W.
Wolffgangus Lazius.
X.
Xenocrates
Xenophon
Xiphilinus.
Z.
Zacutus
Zonaras.

FINIS.

LUGDUNI BATAVORUM,
Typis VVILHELMI CHRISTIANI.
ANNO cIↃ IↃ C XLIII.